



**R. P. Georgii De Rhodes Avenionensis, È Societate Iesv,
Philosophia Peripatetica, Ad Veram Aristotelis Mentem**

Rhodes, Georges de

Lvgdvni, 1671

Disputatio I. De principiis & natura propria corporum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95638)

DISPUTATIO I.

De principiis & natura propria
corporum.Aristoteles 1. *Physic. cap. 5. & 6.*Corpus
considerari
potest du-
pliciter.

*S*icut Nos ab eo quod esse (inquit Augu-
stus. lib. 2. de morib. Manich. cap. 2.)
novo nomine Essentiam vocamus; ita
veteres, qui hac nomina non habebant,
pro Essentia nominabant Naturam. Potest ergo con-
siderari essentia corporis, vel physicè secundum
partes ex quibus constat, vel quasi metaphysi-
cè, prout per naturam propriè definitur. Quo
viroque modo ut illam considerem, dicendum
mihi primò est de principiis Physicis, secundò
de natura corporum.

QVÆSTIO I.

De principiis essentialibus & physicis
corporum.

*V*Numquodque tum nosse arbitramur (ait Philo-
soph. lib. 1.) cum causas primas nouerimus, &
principia usque ad elementa. Continet autem do-
ctrina horum principiorum ex quibus dignoscitur
corporum essentia, quinque capita. Primò in
communi quid & quod simplex illud sit: secundò si-
gillatim de materia, de forma, de priuatione, de
composito substantiali.

SECTIO I.

De principiis physicis in communi.

Definitio
principij in
communi.

*C*ertum est primò, principium in communi
(quod sine dubio latius patet, quàm princi-
pium physicum) rectè definiti, *Est id primum unde
aliquid est, vel fit, vel cognoscitur.* Dicitur pri-
mò, id unde, quia inter principium & principia-
tum necessaria est aliqua connexio, vel ordinis,
vel influxus, vel necessariae habitudinis ad aliud,
vel consequutionis ab alio. Aurora dicitur princi-
pium dici ratione ordinis; ignis ratione influxus
principium est caloris; præmissa sunt principia
conclusionis propter consequutionem; priuatio
est principium generationis propter habitudinem
necessariam. Dicitur secundò, unde aliquid est, aut
fit, aut cognoscitur; quia potest creata qualibet res
habere triplex esse: primum est à parte rei in factò
esse, habetque principia compositionis, unde ali-
quid est: secundum est esse à parte rei in fieri, ha-
betque principia generationis, unde nimirum ali-
quid fit: tertium est esse obiectiuum, habetque
principia cognitionis, unde aliquid cognoscitur.
Recta igitur est principij definitio, quam proposui
ex Philosopho 5. *Metaph. cap. 1.*

Conditio-
nes requisi-
tæ ad prin-
cipium.

Certum est secundò, duas condiciones necessa-
riò requiri ad verum principium. Prima est ut con-
nexionem aliquam habeat cum principiat, de qua
satis dixi. Secunda est ut aliquo modo sit prius

A quàm principiatum. Est autem prioritas quadru-
plex, temporis, naturæ, originis, & rationis.
Tempore prius illud est, quod existit in aliquo in-
stanti in quo nondum existit aliud: prius *naturæ*
illud, à quo aliud dependet propter verum influ-
xum. Prioritas *originis* in eo consistit, quod filius
v.g. procedat à Patre, Pater autem non procedat
à Filio: similiter quod Spiritus sanctus procedat à
Patre & Filio, Pater autem & Filius non procedant
à Spiritu sancto. Prioritas *rationis* posita in
eo est, quod vnum concipi debeat esse priusquam
aliud concipiatur; sufficit autem ad rationem prin-
cipij vna ex illis prioritatibus.

B Certum est tertio, principium latius patere,
quàm causam, ita ut omnis quidem causa sit prin-
cipium, sed non omne principium sit causa, quia
videlicet causa qualibet influxum dicit & depen-
dentiam, quæ non exiguntur à quolibet prin-
cipio; sufficit enim ad illud, ut dixi, prioritas ori-
ginis, aut etiam rationis. Vnde in diuinis persona
producent principium est personæ productæ, sed
non est causa, quamuis Græci Patres nomen etiam
causæ usurpassent inueniantur in latiori significa-
tione, prout idem est cum principio. His positis
de quidditate principij generatim sumpti, duplex
de principiis physicis potest esse quæstio: primò,
quid illa sint: secundò, quot sint.

Discrimen
eius à causâ.

§. I.

Principiorum physicorum propria definitio.

*D*ico primò. Principia physica rectè definiun-
tur, *Ea quæ nec ex se mutuo, nec ex aliis, sed
ex quibus omnia fiunt.* Ita docet Philosoph. cap. 5.
de solis agens principia internis, quæ videlicet
sunt de intrinseco conceptu rei; causa verò effi-
ciens & finalis principia externa sunt: sed hæc
definitio Aristotelica quædam habet difficultia, quæ
ut euoluam.

Aristotelis
definitio.

D Obserua primò, esse difficile in hac definitione,
quomodo verum sit, quod principia nec ex se mu-
tuo fiant, nec ex aliis; nam forma est ex priuatione,
tanquam ex termino à quo; & ex materia,
tanquam ex subiecto: materia item & forma defi-
niuntur per genus, & differentiam, tanquam per
principia sui esse. Deinde difficile etiam est, quo-
modo dicantur omnia ex illis fieri, posterior enim
particula illa; *Ex*, non videtur eandem habere
significationem, quam in prioribus verbis defini-
tionis habuit; nam quando dicitur quod principia
non sunt ex se mutuo, vel intelligitur quod non
sunt ex se mutuo tanquam ex subiecto, vel tanquam
ex partibus: atqui omnia non sunt ex principiis
tanquam ex subiecto, vel tanquam ex partibus;
corpus enim non est ex priuatione tanquam ex
subiecto, aut tanquam ex parte.

Prima diffi-
cultas.

E Respondeo, principia nec ex se mutuo esse, nec
ex aliis in eodem genere in quo sunt principia,
cùm ex ipsis in eo genere sint omnia: v.g. priua-
tio non fit ex alio termino à quo priuatio, &
omnia sunt ex priuatione, tanquam ex termino à
quo: materia non fit ex alio tanquam ex subiecto,
& ex ea ut subiecto fiunt omnia. Idem dico de for-
ma, ex qua ut termino ad quem fiunt omnia.

*O*bserua secundò, difficultatem in ea defini-
tione præterea esse, quomodo illa esse possit bo-
na, cùm nequeat applicari singularibus princi-
piis; non enim dicere licet: Principium physi-
cum est illud, quod nec ex se mutuo, nec ex aliis,
&c. & tamen omnis definitio naturæ vniuersalis, si
bona

Secunda
difficultas.

bona sit, conuenit singularibus, v.g. hominis de-
finitio, *animal rationale*, conuenit Petro.

Respondeo, definitionem hanc principiorum
conuenire tantum principiis *in plurali*, & *collecti-
uè*, non autem *in singulari*, & *distributiue*; nam
aliæ definitiones traduntur distributiue, id est sine
ulla particula, quæ connexionem importet plu-
rium; & illæ possunt applicari singularibus sub
vniuersali contentis, vt, *Homo est animal rationa-
le*. Aliæ traduntur distributiue simul & collectiue,
quando aliquam habent particulam quæ conne-
xionem importet plurium; & hæc non possunt ap-
plicari singularibus sub vniuersali contentis: v.g.
hæc definitio, *Coniuges sunt qui matrimonio sunt
iuncti*, non potest applicari vni coniugi.
Definitio principiorum, quam proposui, particu-
lam habet, quæ plurium collectionem importat,
vnde nec singularibus principiis potest applicari.
Posset autem principium in singulari definiri, *Est
id primum, ex quo est, vel sit corpus naturale*.

Obserua tertio, Aristotelem merito dixisse,
principia illa physica manere semper, quia nulla
est mutatio substantialis, in qua non reperiatur
materia, forma, priuatio. Deinde dixisse, quod il-
la sunt prima contraria, non quidem omnia, sed
formam tantum & priuationem; quia cum ad op-
positionem priuationem reuocari possit alia quæli-
bet oppositio, merito dicitur prima oppositio, &
prima contrarietas.

Obiicitur primo, definitionem illam allatam
etiam conuenire elementis, quæ non sunt ex se
mutuæ, nec ex aliis in eodem genere elementi,
sed ex illis omnia sunt: imò illam causis quoque
finali & efficienti conuenire.

Respondeo, elementa fieri ex se mutuæ, & ex
aliis, quia sunt ex sua materia vt ex subiecto, &
ex se inuicem; nam ex aqua vt ex subiecto fit aer.
Neque omnia ex ipsis fiunt, quia ignis fit, & non
fit ex omnibus elementis. Denique conuenit hæc
definitio causæ finali, aut efficienti, cum particu-
la, *Ex*, non designet aliquid extrinsecum, sed
intrinsecum; causæ verò finalis & efficiens sunt
extrinsecæ ipsis effectibus.

Obiicitur secundo, materiam primam & for-
mam materialem habere partes ex quibus compo-
nuntur: ergo illæ fiunt ex principiis; nam mate-
ria, & forma sunt principia compositi, quia sunt
eius partes: ergo partes materiæ & formæ sunt
illarum principia.

Respondeo materiam, & formam fieri quidem
ex partibus integralibus, non autem ex partibus
essentialibus: partes integrantes vocantur, qua-
rum vnâ sublatâ tollitur integritas compositi, sed
non destruitur conceptus quidditatus; vt si præ-
scindatur Petro manus, erit tamen semper idem
Petrus, sed non omnino manens. Partes essentia-
les dicuntur, quarum vnâ sublatâ tollitur con-
ceptus rei quidditatus, v.g. sublatâ homini
animâ, non manet homo. Principia physica
corporum sunt partes essentielles, non autem so-
lùm integrales.

Obiicitur tertio, Priuatio fit ex forma tanquam
ex termino à quo; & ipsa est terminus à quo: er-
go principia fiunt ex aliis etiam in eo genere, in
quo sunt principia.

Respondeo distinguendo antecedens: priuatio
fit ex forma tanquam ex termino à quo priuatio,
negatur; tanquam ex termino à quo positio,
concedo: priuatio autem est terminus à quo pri-
uatiuus.

§. II.

Numerus principiorum physicorum.

NVlla ferè fuit inter veteres Philosophos con-
trouersia vel obscurior, vel celebrior, quam
ista de principiorum numero, aded vt tradit Tam-
blicus *lib. de myst. Egypti*. §. 39. scripta esse à Mercur.
Trismeg. hac de re voluminum viginti millia, imò
& triginta millia, vt refert Menecetus. Milia pos-
ea quæ tradidit Aristoteles, & præsertim post ea,
quæ fides edocet, parum superest in hoc toto ne-
gotio, quod vel disputetur, vel dubitetur.

Dico secundo, principia generationis substan-
tialis tria rectè poni ab Aristotele, materiam, for-
mam, & priuationem; principia verò composi-
tionis esse solum duo, materiam & formam. Duas
assertio habet partes, quas priusquam explicem,

Obserua primo, sententias omnes veterum de
principiis rerum commodè reuocari posse ad clas-
ses quatuor. Prima eorum est, qui nullum esse vo-
luere principium: secunda posuit vnum tantum;
tertia posuit plura, sed finita: quarta voluit illa
esse infinita, vt referunt August. *lib. 8. Ciuit. Theo-
doret. inio lib. 2. de Græcicis affectionib. Plutarch.
lib. 1. de placitis Philosoph. cap. 3. Picus lib. 1. Exa-
minis, cap. 6.*

Primo enim Xenophanes, Melissus, & Parme-
nides volebant omnia esse vnum immobile, quod
finitum esse volebat Parmenides, Xenophanes ve-
rò infinitum; sublatâ verò mutatione, auferri ne-
cesse est illius principia. Quamuis probabile sit
intellexisse illos, quod hoc principium esset Deus,
appellatus sæpe à veteribus Philosophis *τὸ πᾶν*,
vniuersum, vt docet Eugub. *lib. 3. de perenni Phi-
losoph. quia, vt rectè dixit Ansel. in Monol. Omnia
effecta in Deo sunt, non quod in seipsis sunt, sed
quod idem ipse est.*

Secundo, alij eum scirent vnitatem esse radi-
cem rerum omnium, vt ait Trismegistus, sic etiam
vnum volebant esse omnium rerum principium;
sed non conueniebat inter eos, quodnam illud
esset, vt refert Theodoret. *lib. de mater. & mundo*:
volebat nimirum Pherecides illud esse terram;
Thales malebat illud esse aquam; Anaximenes æ-
rem; Heraclitus ignem. Omnium autem imperitil-
simè Gnostici apud Epiphanium volebant, *tene-
bras* esse principium rerum vniuersarum.

Tertio delirant alij turpissimè plura ponen-
tes principia finita: Zareus v.g. *Chaldeus lucem
& tenebras*, Hippus *aquam & ignem*; Oenopides *ig-
nem & ærem*; Empedocles *litem & amicitiam*, quod
vellet elementa omnia lite regnante dirimi ad re-
rum procreationem, ac rursus dominatu amicitie
congregari; Pythagoras numerum denarium, &
par ac impar; Plato *mentem, ideam, materiam*; alias
verò ponere malebat, *vnum, magnum & paruum*.

Quarto denique Leucippus, Epicurus, & De-
mocritus volebant principia rerum omnium esse
infinitas atomos insectiles & solidas, sicut ex li-
teris vigintiquatuor omnium existit dictionum
varietas. Eas autem atomos vocabant illi *παρα-
σπασμῶν*, omnium rerum semen: quam senten-
tiam noui quidam scioli recoquere non verentur
aduersus Aristotelem solis armati atomis, contra
quos sæpius infra erit dicendum.

Obserua secundo, longè sapientiùs, & feliciùs
rerum principia indagasse Aristotelem, cuius do-
ctrinam omnem pronuntiatis quatuor completi
posse videor, quæ habetur *cap. 6. sectu 50.*

Assertio.

Sententia
veterum in
classes qua-
tuor.

LEPHODE

Primo

Aristotelis
doctrina de
principiis,

Primo enim certum est, & cæcis ipsis perspicuum, dari veram mutationem, tum substantialem, tum accidentalem; patet enim quod ignis fit ex ligno, & quod paries ex albo fieri potest niger. Mutatio substantialis appellatur, cum aliquid materiae sic aduenit, ut substantiam rei destruat; accidentalis cum substantia rei non destruitur. Dari autem mutationem substantialem, negant noui discipuli Epicuri, quos in sequentibus impugnabo.

Secundò. Rectum etiam est, quod ex nihilo nihil potest fieri naturaliter, ex nihilo videlicet *subiecti*; nam ex nihilo *sui* fiunt omnia quæ fiunt; non enim erant antequam fierent.

Tertiò. Docet Philosophus, numerum principiorum debere colligi ex mutatione substantiali per analogiam ad mutationem accidentalem, sicut enim quando lignum fit calidum ex non calido, tria requiruntur, calor qui producatur, subiectum in quo producatur, priuatio caloris, quæ in ligno præcedat; sic quoties ex ligno fit ignis, requiruntur tria, calor qui producitur, subiectum in quo producitur, priuatio formæ ignis, quæ præcedit.

Quartò. Sequitur ex his, duo esse principia compositionis, idest necessariò componentia corpus, materiam & formam; tria verò generationis, idest sine quibus generatio in ratione mutationis substantialis nequit intelligi, materiam, formam, & priuationem. Nomine *materiae*, intelligitur substantia imperfecta, indifferens ad omnem formam, & ad omnem pulchritudinem, *ἀργόν*: nomine *formæ* significatur substantia perfecta, quæ ornamentum est, & pulchritudo ipsius materiae, cum qua faciat tale corpus; nomine *priuationis* intelligitur formæ carentia in materia: nomine autem *generationis substantialis* intelligitur transitus formæ à non esse ad esse in subiecto. His positis,

Ratio asser-
tionis.

Ratio cur tria sint principia generationis, est quia ista sunt principia, quæ sunt de intrinseco conceptu generationis, & ex quibus fit generatio: sed tria necessariò concipi debent quoties concipitur, & fit generatio; nam concipi nequit fieri aliquid, quin intelligatur subiectum in quo fit, res *ἀπὸ* qua fit, & non esse illius præexistens. Deinde compositum fit ex materia, ex forma, ex priuatione, quod ad rationem principij requiritur necessariò; nam agens ingreditur duntaxat conceptum generationis tanquam id *ἀπὸ* quo fit; finis autem tanquam id *propter* quod fit: ergo tria sunt principia compositi in fieri, & duo principia eius in facto esse.

Prima ob-
iectio.

Obiicitur primò, formam non esse principium generationis, quia principium generationis est prius generatione; sed forma non est prior generatione, cum sit eius effectus: ergo non est principium. Deinde si forma esset principium, quia est terminus ad quem, compositum cum sit principalis terminus ad quem, erit etiam principium. Denique generatio formæ non fit ex ipsa forma; generatio enim via est & principium formæ, cum forma fiat per generationem, non autem generatio per formam: ergo forma non est principium generationis, imò si esset principium generationis, esset etiam principium sui ipsius, quia *quod est causa causæ est causa causæ*.

Respondeo verum esse, quod generatio est prior in ordine executionis, quam forma, sed in ordine intentionis forma prior est quam generatio; nam id quod intenditur per generationem, est forma. Deinde nego, compositum esse principium generationis; nam generatio duplicem habet terminum ad quem; alter est formalis & immediatus,

A qui est immediatè per se distinctius generationis, & is est principium, quia includitur in conceptu generationis explicite: forma est huiusmodi terminus ad quem, & propterea est principium. Alter est terminus totalis & vitimatus, qui scilicet non est distinctius immediatè per se generationis, sed mediante termino formali; & is non est principium, quia non includitur in conceptu generationis nisi consequenter tantum, & implicite, supposito quod forma includatur; & huiusmodi terminus est compositum, quod propterea nego esse principium. Denique fateor formam non esse principium generationis formæ, ut rectè probat argumentum; sed esse principium generationis compositi, quæ distinguitur saltem formaliter à generatione formæ.

B Obiicitur secundò. Vnio tam est intrinseca secundò ob-
composito quam materia & forma; & est id ex ictio.
quo: ergo illa est tertium principium compositionis. Deinde quantitas & qualitates tam requiruntur in materia, ut fiat generatio, quam ipsa priuatio: ergo non minus sunt principia, quam priuatio. Idem dico de approximatione agentis & passi.

C Respondeo, unionem esse vnum principium cum forma, quia est ratio principiandi formæ. Ex principio autem & ratione principiandi non fiunt duo principia, sed vnicum; sicut agens & actio non sunt duæ causæ. Idem dico de quantitate, de qualitatibus, & substantia, quæ non sunt principia distincta à materia, quæ connaturaliter illas exigit ut sit principium, idè illæ vnum sunt principium cum materia. Approximatio quoque agentis & passi non est principium, quia non est id ex quo est generatio; sed necessaria est ut conditio: priuatio autem est id ex quo.

D Obiicitur tertio. Idè priuatio est principium, Tertia ob-
quia est terminus à quo, sed forma corrupta est ictio.
æquè terminus à quo: ergo illa est æquè prin-
cipium.

Respondeo distinguendo maiorem; ideo priuatio est principium, quia est terminus à quo, sine quo generatio non potest concipi, & quia est necessarius ad generationem, concedo; quia est terminus à quo non necessarius ad omnem generationem, & sine quo generatio potest concipi, nego. Priuatio est terminus à quo ita necessarius ad omnem generationem, ut sine illa nulla possit concipi generatio; forma verò corrupta non requiritur ad omnem generationem, quia si forma ignis produceretur in materia nuda, vera esset generatio, non tamen vlla esset forma corrupta.

SECTIO II.

De materia prima.

Aristoteles 1. *Physic. cap. 1.*

E Primum principium corporum materia est, theatrum generationum omnium & corruptionum; fundamentum & prima basis totius esse corporei; penè nihil, & totum esse; de nihilo facta, ut de nihilo nihil fiat; nihil habens, & omnia ex se promens; quam ignorando cognoscei, & cognoscendo ignorari rectè asserit Augustinus lib. 12. *confess. c. 5.* De illa verò quæcunque possunt disputari, ea video ad quatuor capita reuocari debere. Primum est *existentia* materiae primæ; secundum propria eius *quidditas*, & præsertim, quomodo sit potentia: tertium *separabilitas* eius, & conseruatio abique omni forma: quartum *proprietas*.

§. I.

§. I.

Existentie materia prima, & eius definitio.

Probat
dari mate-
riam.

Certum est primò, dari materiam aliquā primam in rebus corporeis, quæ sit pars compositi naturalis, & subiectum primum mutationis substantialis, quo nullum aliud sit prius. Rationem affert Philosophus, quia quoties datur transmutatio vnius corporis naturalis in aliud corpus, ligni v.g. in ignem, necessariò manet aliquod subiectum commune sub utroque termino: illud est materia prima, id est subiectum, quo nullum sit prius, alioqui daretur processus in infinitum, si quolibet subiecto daretur prius, & prius in infinitum: ergo datur materia prima. Probat maior, quia si ex re corrupta, v.g. ex ligno, quod in igne mutatur, nihil remanet, omnis corruptio est annihilatio, & omnis productio est creatio, quia fit ex nihilo subiecti; vel certè transsubstantiatio est, quia est conuersio totius vnius substantiæ in aliam, qualis reperitur in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento: hoc autem vtrumque absurdum est. Deinde dispositiones quæ inducuntur ab agente in subiectu destruendum, non debent destrui priusquam producantur forma; si autem subiectu destrueretur, destrui deberent omnes illæ dispositiones, quæ sine subiecto non possunt manere: igitur necesse est vt maneat subiectum aliquod. Denique in nutritione, cum cibus conuertitur in viuens, vel aliquid cibi remanet, vel nihil: si nihil manet, non est ergo utilis conuersio; si aliquid manet, illud non est totus cibus, alioqui nulla fieret conuersio in substantiam viuentis: ergo illud quod manet, est pars aliqua cibi, quæ vocatur materia prima: ergo patet dari materiam primam.

Dices primò cum Atomistis recentioribus, probari quidem illis argumentis existentiam materiæ primæ, posito quod detur in rebus mutatio substantialis, id est productio nouæ formæ substantialis, & compositi substantialiter diuersi; sed hanc veterem esse, ac obsoletam & rancidam Philosophiam, quæ hæcenus nimis credula persuaderi sibi hoc permisit ab Aristotele: aliam longè mentè esse nouorum Philosophorum, quibus restituti tandem sunt oculi; ij enim solis credunt & certis experienciis; negant enim vllam esse informem materiam, vllam formam præter animam rationalem, vllam esse in rebus mutationem substantialem, sola esse in rebus corporeis quatuor elementa substantialiter omnino simplicia, ex quorum varia combinatione secundum atomos omnis existat diuersitas, & quæ cernitur in corporibus, eo modo quo ex litteris viginti tribus innumerabilis vocum omnium varietas coalescit. Ita noui scioli, quibus

Respondeo, mutationem substantialem negari à nemine posse, qui oculos & mentè habeant, vt ostendam suo loco: existentiam formarum substantialium, & differentiam essentialem inter corpora esse adeò perspicuam, vt cæci etiam ipsam videant, vt probabo *sect. 3.* vbi commentum hoc nouæ Philosophiæ conuincam falsitatis. Nunc satis mihi est dicere, non posse materiam primam esse quatuor elementa, ex quibus constant omnia mixta, sed neque, vt volunt Chymici, tria illa quæ vocantur elementa chymica, mercurium, sal, & sulphur. Primò, quia sequeretur, nullum esse mixtum, quod non sit ens per accidens; constarent enim mixta omnia ex rebus completis, & generum diuersorum, qui proprius est character entis per accidens; omnia enim elementa completa sunt in suo genere, vt patet: ergo si ex illis realiter constaret mixtum, illud est ens per accidens. Secundò in omnibus elementis dantur formæ substantiales, cum vnum elementum in aliud transmutetur; sit enim igitur

R. P. de Rhodes curs. Philosophiæ

Agnis ex aëre, aër ex aqua: ergo præter elementa datur subiectum aliquod prius, quod commune sit omnibus elementis. Antecedens negant Atomistæ, quorum tota, ni fallor, euertetur noua Philosophia; probatis formis substantialibus; quod præstabitur *sect. 4.* & *tract. 3.*

Dices secundò, sequi ex superius data ratione, quod aliquid maneat; sed non sequi, quod maneat aliquid substantiale.

Secundà
euasio.

Contra enim insto, quia si illud quod remanet, non esset substantiale, sequeretur, omnem mutationem substantialem esse transsubstantiationem; nam esset mutatio totius substantiæ corruptæ in totam substantiam productam; hoc autem est esse transsubstantiationem. Deinde illud quod non præsupponit subiectum prius, non potest esse accidens; illud quod remanet, non præsupponit subiectum prius: ergo non est accidens.

Certum est secundò, materiam primam rectè definiri, *Est subiectum primum, ex quo inexistente aliquid sit non per accidens, & in quod vltimum, cum quid corrumpitur, resoluitur.* Vel breuius, *Est subiectum primum vnius cuiusque.* Ita tradit Philosophus *textu 81.* Dicitur enim primò subiectu, quia recipit & sustentat tum formam, tum accidentia quasi prima basis totius corporis. Dicitur deinde subiectum primum, vt excludatur materia secunda, quæ scilicet habet etiam dispositiones accidentales præter materiam; ita enim intelligitur subiectum primum vt sit incompletum; nam Angelus est subiectum suorum accidentium, sed completum. Dicitur tertio, subiectum vnius cuiusque, quia nullum est corpus, quod non habeat materiam, per quam vel recipiatur forma, vt in homine; vel sustentetur, vt in aliis compositis. Dicitur quarto, ex qua inexistente aliquid sit, quia est vera pars componens corpus naturale, & in eo manens post transactam generationem, priuatio autem non manet; causa verò efficiens non est id ex quo, sed id à quo. Dicitur quintò, non per accidens, quia ita est pars componens corpus, vt ea fiat ens per se, non ens per accidens, quale sit ex albedine & subiecto. Denique dicitur, & in quod vltimum, si quid corrumpitur, resoluitur, vt distinguatur ab elementis, in quæ resoluitur mixtum, sed non vltimò. Ex qua definitione,

Definitio
materiæ.

Colliges primò, materiam primam esse substantiam, esse incompletam, esse partem essentialem compositi physici. Quæ tria sequuntur ex eo, quod materia sit subiectum primum.

Tria prædi-
cata mate-
riæ.

Colliges secundò, quo sensu Plato materiam vocauerit *magnum*, & *paruum*; quia modo sub nobili, modò sub ignobili forma delitescit; vel quia omnia recipere potest, nihil autem agere. Dicitur ab eodem etiam *πᾶν τῶν*, omnia continens, sinus, gremium, conceptaculū, quod formas excipiat, foueatque. Deinde à Platonicis materia dicta est *speculum formæ omnium quæ sunt idearum imagines, recipiens naturæ vterius, essentia imago, profundum cuiusque rei.* Materia est, inquit Plotinus lib. 4. c. 2. *Protheus Homericus, fæx primæ vitæ, siue operum Dei despiciatissimū.* Sed eximie omnino materiam illi appellabant, *essentia primæ inanem vmbra*, eo quod in natura nihil dissimilius Deo, quàm materia; & nihil tamen similius. Quod vtrumque argumentum video ingeniosè à multis Recentioribus esse traditum. Dissimilis videlicet Deo materia est, cum Deus actus sit purus, incapax recipiendi aliquid in se; materia pura potentia, hoc vnum habet quod aliquid recipiat. Deus est omnium entium primum; materia, vt dixi, fæx est primæ vitæ. Deus totus splendor est & lumen *πᾶν τῶν*; materia nihil est nisi tenebræ, propter summā informitatem. Sed aliunde tamen non patet

Varia eius
nomina.

I sunt;

sunt, in quibus Dei quedam imago materia est, quia Deus sedes est, basis & fundamentum, in quo reclinantur omnia, ut ait Dionysius: materia basis & receptaculum est commune omnium formarum, ut dixi ex Platone ac Platonice. Deus immutatus omnia mutari sub se videt: in materia profus immutata omnes fiunt mutationes. Materia cognoscitur præsertim per negationes: Dei cognitionem, ait S. Dionysius esse summam eius ignorantem, & tenebras luminosissimas. Denique materia dici quodam modo potest omnia, & tamen nihil; unde à Synesio appellata est ὕλη, sylvia, propter formarum multitudinem, quæ ex ipsa educuntur. Deum Nazianzenus esse dicit unum omnia, & nihil rerum.

*Unum Materialis s. II. h. potentia
Quale sit Physica obiectum.*

EX definitione materiæ, quam hætenus tradidi, sequitur propriam eius differentiam esse, quod sit potentia receptiva, tum formarum substantialium, tum accidentium. Difficultas igitur esse nunc potest, utrum materiæ verè sit potentia, utrum essentialiter sit potentia, & demùm utrum sit pura potentia.

Assertio.

Dico primò, materiam esse potentiam passivam, quæ licet unica sit, rectè tamen dividitur in receptivam, & sustentativam; in universionalem, & particularem, in substantialem, & accidentalem. Duas partes habet conclusio, quas ut explicem.

Triplex potentia.

Observe primò, triplicem à Philosophis vulgò distingui potentiam: prima vocatur obiectiva, secunda passiva, tertia activa: & triplicem item actum; primum vocatur actus entitativus, secundus actus formalis, tertius effectus, siue operatio. Actus entitativus est actualitas rei, seu actualis rei existentia: actus formalis est forma præsupponens aliquod subiectum: actus effectivus est aliquid de novo productum. Potentia respondens actui entitativo appellatur obiectiva, quæ est non repugnantia rei ad existentiam, seu essentia rei possibilis. Potentia passiva est aptitudo ad recipiendam aliquam formam. Potentia activa est vis effectiva alicuius. Materiam ergo appellavi potentiam, non obiectivam, quia reuera existit; non activam, quia non agit extra se, sed tantùm intra se per emanationem producit suas proprietates; sed potentiam passivam, quia de se ita apta est ad recipiendas formas quolibet, ut secundùm se non habeat ullam formam.

Multiplex potentia materiæ.

Ratio tota est, quia materia prima est subiectum primum; quod autem est subiectum primum, non habet in se ullam formam, alioqui daretur aliquid eo ulterius, subiectum videlicet huius formæ: ergo materia est potentia passiva.

Observe secundo, potentiam materiæ tripliciter dividi; primò enim alia est *universalis*, alia *particularis*: universalis, siue remota, est ipsa entitas materiæ sola, quæ recipere potest formas omnes: proxima est entitas materiæ, quæ per accidentia quedam disponitur ad aliquam formam. Secundo alia est *receptiva*, per quam materia recipit formam ut partem suam, eique vnitur; & hanc potentiam materia exercet erga omnes formas: alia est *sustentativa*, per quam materia formam impotentem per se subsistere sine subiecto sustentat, & hanc potentiam materia exercet circa formas solùm materiales. Tertio, potentia materiæ alia est *substantialis*, prout recipere potest formas substantiales; alia est *accidentalis*, per quam potest recipere accidentia.

Ratio ergo cur unica materia sufficiat ad omnes illas potentias, evidens est, quia sicut una est poten-

tia visiva, quæ sufficit ad videndos omnes colores; una intellectiva, ut cognoscat omnia entia; ita una est potentia materiæ, quæ sufficit ad omnes formas recipiendas: alioqui cum formæ infinitæ possibiles sint, deberent etiam esse infinitæ potetie in materia.

Obiicitur primò. Non est maior ratio cur materia dicatur recipere animam rationalem, quàm anima rationalis dicatur recipere materiam: ergo materia non est magis potentia quàm forma. Probo antecedens, quia idèd materiæ dicitur recipere animam, quia illi vnitur, sed forma vnitur æquè materiæ: ergo recipit materiam.

Prima obiectio.

Respondeo negando primum antecedens; ratio enim cur anima rationalis non recipiat materiam, est quia illud dicitur recipere aliud, quod denominatur ab alio: illud verò dicitur recipi, quod denominatur aliud; v.g. sapientia dicitur in intellectu recipi, quia per eam intellectus denominatur sapiens; sapientia verò ab intellectu non denominatur intelligens. Anima denominatur corpus, quod ab ea dicitur viuens; corpus verò non denominatur animam, quæ non dicitur corporea.

Si autem queras, quid habeat speciale materiæ ut denominetur potius per formam, quàm forma per materiam.

Respondeo rationem esse, quia materia ultimò per formam determinatur ad aliquem certum gradum essendi, cum de se sit indifferens; formam verò non determinari ultimò à materiæ ad certum aliquem gradum essendi, cum sit determinata ad ultimam speciem, etiam si sit indifferens ad informandam hanc, vel hanc materiam.

Instabis, formam denominari subiectatam à materiæ.

Respondeo, denominationem hanc non esse petitam à materiæ, sed ab ipsa informatione, seu receptione formæ in materiæ, quæ propter eam nullo modo denominatur formam, sed tantùm ab ea denominatur.

Obiicitur secundo, quando materiæ recipit aliquam formam, non est amplius potentia ad illam, quia tunc transit de potentia ad actum: ergo materiæ non est potentia.

Secunda obiectio.

Respondeo, potentiam significare posse primò aptitudinem solam ad formam, secundo aptitudinem simul cum carentia formæ. Potentia priori modo sumpta esse potest cum actu, imò semper est cum actu; cum enim ambulo, maxime possum ambulare, quia tunc non amittitur potentia, cum actu illa exercetur. Materiæ ergo cum habet actu formam, maxime potentia est ad illam. Si verò potentia sumatur posteriori modo pro negatione formæ, certè illa perit adueniente actu formæ.

Obiicitur tertio. Si esset aliqua materiæ, quæ recipere non posset nisi formam ignis, alia verò quæ non posset recipere nisi formam aquæ, illæ materiæ specie different: ergo ad formas specie diuersas debet esse potentia specie diuersa.

Tertia obiectio.

Respondeo distinguendo consequentiam: ergo ad formas specie diuersas debet esse potentia specie diuersa, si respiciat illas formas tanquam actum adequatum, concedo; tanquam actum inadæquatum, nego. Si esset materiæ unicam tantùm respiciens formam, illa forma esset actus adequatus illius materiæ, cum autem *potentia specificentur per actus adequatos*, sine dubio illæ potentiæ, quæ respicerent diuersas formas tanquam actus suos adequatos, specie different: nunc autem, quia potentia materiæ non respicit unam formam tanquam actum suum adequatum, non differt specie à potentia, quæ respicit alteram formam. Sicut sensus externi differunt inter se; quia respiciunt diuersa obiecta adequata; se nescit

sensus autem internus vnus est qui illa omnia obie-
cta adæquat. In quo eodem sensu verum est quod po-
tentia & actus adæquatus sunt in eodem genere.

§. III.

Virum materia prima essentialiter sit potentia.

Potentia illa passiva, quam dixi propriam esse
materia, potest tripliciter illi conuenire: primò
si sit differentia eius essentialis: secundò si sit acci-
dens metaphysicum, saltem ratione distinctum, &
superadditum materia: tertio si sit accidens phy-
sicum, ab entitate materiae realiter distinctum.

Dico secundò, materiam primam ita esse poten-
tiam, vt differentia eius essentialis sit ratio potentia
vniuersalis, tum receptiua, tum sustentatiua, tum sub-
stantialis, tum accidentalis. Ita docent cum S. Thoma
1. p. q. 11. omnes qui admittunt veras relationes tran-
scendentales, de quibus dicam in Metaphysica.

Ratio enim est primò, quia essentialis differentia
materiae est esse *primum subiectum vniuersaliusque*: sed
esse subiectum primum vniuersaliusque, est esse poten-
tiam vniuersalem, tum sustentatiuam, tum receptiuam,
tum substantialem, tum accidentalem: ergo potentia
illa vniuersalis est differentia essentialis materiae.
Probat minor, quia esse subiectum non est aliquid
absolutum, sed relatum ad id, quod recipitur in
subiecto, ergo esse materiam est aliquid relatum,
non absolutum.

Secundò, Si potentia esset aliquid superadditum
materiae, daretur progressus in infinitum; si enim po-
tentia sit accidens materiae, vel materia per se ipsam
recipit illud accidens, vel illud recipit per aliud ac-
cidens; si per se: ergo materia est potentia per se ip-
sam; si per aliud accidens, iterum queram de isto,
vtrum materia per aliud accidens illud recipiat; &
ita progressus erit infinitus.

Tertio, Illud est essentialis materiae, sine quo mate-
ria non potest adæquate concipi: sed sine potentia
receptiua, & sustentatiua, tum formarum, tum acci-
dentium, materia concipi non potest adæquate: igitur
potentia illa vtraque essentialis est materiae.

Obiicitur primò, Illud non est essentialis materiae,
sine quo potest concipi materia: sed sine potentia su-
stentatiua potest concipi materia: ergo potentia su-
stentatiua non est essentialis materiae. Probatur mi-
nor. Sine illo potest concipi materia vt materia est,
sine quo potest fungi suo munere: sed sine poten-
tia sustentatiua fungi potest suo munere, cum sine
illa constituat corpus naturale: ergo materia potest
concipi sine potentia sustentatiua.

Respondeo distinguendo primam maiorem; illud
non est essentia materiae, sine quo materia potest
concipi adæquate, concedo; sine quo concipi
potest solum inadæquate, nego. Materia verò
non potest adæquate concipi, quin concipiatur po-
tentia sustentatiua; quia vt concipiatur adæquate
materia, debet concipi vt subiectum vniuersaliusque:
ergo debet concipi vt subiectum etiam formae mate-
rialis, quod est esse potentiam sustentatiuam.

Obiicitur secundò, Illud non est essentialis mate-
riae, quod potest ab ea separari, sed potentia separari
potest à materia, nam postquam forma corrupta est,
non potest manere amplius potentia materiae in or-
dine ad illam, atque adeò separatur: quod probo.
Nam omnis potentia naturalis reduci potest ad
actum per agens naturale: sed potentia ad recipien-
das formas corruptas reuocari non potest ad actum
per agens naturale: ergo materia non est potentia
naturalis ad formas corruptas.

Respondeo certum omnino esse, quod materia
R. P. de Rhodis curs. Philosoph.

A seruat potentiam ad formas corruptas, quia priua-
tionem illarum dicit; priuatio autem dicit quan-
dam aptitudinem in subiecto; imò si reproduceren-
tur illae formae, sine dubio materia illas reciperet
sine accidente superaddito. Postquam igitur forma
corrupta est, potentia materiae manet ad illam, quan-
tum est ex parte materiae, non quantum est ex parte
agentis productiui talis formae; materia enim apta
manet ad recipiendam talem formam si ea produca-
tur: quemadmodum oculus retinet semper poten-
tiam videndi colorem corruptum, si rursus ille pro-
duceretur. Neque verò potentia illa frustra est, quæ
reduci non potest ad actum ex defectu agentis; satis
enim est, quod ex parte ipsius materiae reduci possit
ad actum. Denique non est verum, quod cuiuslibet po-
tentia passiva naturali respondere necessarium debeat
potentia actiua naturalis.

Obiicitur tertio. Potentia est in prædicamento
qualitatis: ergo materia, quæ substantia est, non est
essentialiter potentia; si enim potentia actiua est
accidens superadditum agenti (nam calor distin-
gitur ab igne) quare similiter potentia passiva non
erit aliquid superadditum subiecto. Confirmatur,
quia prius est aliquid esse, quam esse causam: sed
materiam esse potentiam, est materiam esse causam:
ergo prius est materiam esse, quam esse potentiam.

Respondeo negando quod omnis potentia sit in
prædicamento qualitatis, hoc enim verum non est
nisi de potentia accidentali, alioqui daretur proces-
sus in infinitum; si autem potentia actiua distin-
guatur ab agente, non sequitur infinitus progressus,
qui sequeretur si potentia passiva distingueretur;
nam materia reciperet vnā potentiam per aliam, &
iterum hanc per aliam. Ad confirmationem dico,
prius aliquid esse quam sit causa in actu secundo;
sed non esse prius quam sit causa in actu primo, seu
quam sit principium cauſandi: potentia materiae est
principium cauſandi materiae, ideo non est aliquid
prius, quam materia.

Obiicitur quarto. Potentia & actus sunt in eo-
dem genere: sed materia & accidens non sunt in
eodem genere: ergo materia non est per se poten-
tia receptiua accidentium. Imò sequeretur materiam
habere relationem transcendentalem ad accidentia,
quod absurdum est, quia substantia est prior accidente.

Respondeo actum primarium & potentiam esse
in eodem genere; actum verò secundarium, cuius-
modi sunt accidentia, & potentia, non esse in
eodem genere. Neque absurdum est, quod materia
relationem habeat transcendentalem ad accidentia
tanquam ad terminum non vltimum; quia termi-
nus vltimus forma est substantialis, propter quam
recipiuntur accidentia.

§. IV.

Virum materia prima sit pura potentia.

Materiam esse puram potentiam, est illam non
includere in sua essentia vllum actum: si ve-
rò nullam includat formam, seu actum physicum,
erit pura potentia passiva; si nullum includat actum
metaphysicum, idest existentiam, erit pura potentia
obiectiua. Difficultas igitur est primò, vtrum mate-
ria in se nullam includat formam corporeitatis, quam
inuenit Scotus: secundò, vtrum non includat etiam
existentiam, sed eam omnem sumat à forma; quod
asserunt Thomistae.

Dico tertio, materiam primam esse puram poten-
tiam passiuam, cui nulla forma corporeitatis coeſua
est; tribuens genericum esse corporis; sed non esse pu-
ram potentiam obiectiuam, cum habeat existentiam
propriam

Tertia obie-
ctio.

Quarta ob-
iectio.

Assertio tri-
membus.

Assertio.

Prima ratio.

Secunda
ratio.

Tertia ratio.

Prima obie-
ctio.

Secunda ob-
iectio.

propriam, non solum distinctam ab existentia forma, sed etiam ab ea prorsus independentem tanquam à causa, vel conditione. Tres partes habet conclusio.

Primam negant Avicenna, volens esse in quolibet corpore specialem formam, quæ tribuat *genericum esse corporis*, cum alia forma det esse tale corpus specificè: Scotus, qui solis eam formam tribuit viventibus: Henricus Gandavensis soli homini: reliqui cum Philosopho & S. Thoma formam illam corporeitatis reiciunt tanquam inutilem, imò impossibilem.

Forma corporeitatis est inutilis.

Probat, illam esse inutilem, quia nullum omnino confert effectum formalem composito, quem non conferat alia quævis forma materiæ adueniens; nam ex hoc præcisè, quod aliqua substantia intelligitur composita ex materiæ & forma, intelligitur esse corpus: sed quævis forma materiæ adueniens facit compositum ex materiæ & forma: ergo quævis forma materiæ adueniens facit corpus; qui tamen solum dicitur esse proprius effectus formalis formæ corporeitatis. Imò si poneretur in lapide sola forma lapidis, sub hac formâ illâ communi, lapis esset corpus, tum genericè, tum specificè: ergo illa forma inutilis est.

Est impossibile.

Probat, quod sit etiam impossibile forma tribuens esse genericum, non autem specificum, quia gradus genericus, & specificus non distinguuntur: sed si una forma tribueret esse specificum, altera genericum, gradus illi distinguerentur etiam realiter: ergo impossibile est forma tribuens esse tantum genericum, quæ dicitur *corporeitatis*. Imò, ut nuper dixi, si tolleretur forma hæc corporeitatis ab ipso lapide, maneret gradus specificus sublaro gradu generico, siquæ illi distinguerentur.

Materia propriam habet existentiam.

Prima ratio.

Secunda pars asserens inesse materiæ propriam existentiam distinctam ab existentia formæ, negatur à Thomistis, quibus non faveat S. Thomas, ut ostendunt Suarez, Vasques, Pererius, & Auerla.

Probat, autem optimis, & clarissimis rationibus: primò enim id quod est realiter distinctum ab alio, habet existentiam distinctam ab alio: sed materia est realiter actu distincta à forma: ergo materia existentiam habet distinctam ab existentia formæ. Maior probatur, quia rei existentia non est aliud quàm res ipsa, seu essentia ipsa in actu, id est actualitas rei; nec enim, ut alibi demonstrabitur, existentia est aliquid distinctum realiter ab essentia; sed illa eadem essentia, quæ prius erat possibilis, quâdo est actu, vocatur existentia. Implicat ergo ut aliquid actu distinguatur ab alio, quin habeat existentiam distinctam ab existentia alterius; & implicat in terminis dicere, quod unum existat per existentiam alterius, à quo tamen actu distinguatur; quod enim actu distinguitur ab alio, habet actualitatem distinctam ab actualitate alterius: sed actualitas est existentia: ergo quod actu distinguitur ab alio, habet existentiam distinctam ab existentia alterius. Iam verò quod materia distincta sit actu ab ipsa forma, probatur, quia materia est pars corporis naturalis, & forma est altera pars: ergo distinguuntur inter se, alioqui totum compositum est ens simplex. Similiter materia est ens incompletum: ergo materia non constituitur in actu per formam, alioqui est ens æquè completum ac totum substantiale.

Secunda ratio.

Secundò, illa distinctas habent existentias, quæ producuntur per actiones distinctas; omnis enim actio terminatur immediatè ad existentiam: sed materia & forma producuntur per actiones distinctas, cum altera creetur, altera educatur: ergo materia & forma diuersas habent existentias. Confirmatur, quia eadem actione, qua res producit, eius existentia producit: sed essentia materiæ producit actione distincta: ergo & eius existentia.

A Tertiò. Id quod præsupponitur existere ante aliud, & est causa illius, habet existentiam distinctam ab existentia alterius: sed materia præsupponitur existere ante formam materialem, & est causa illius: ergo materia existentiam habet distinctam ab existentia formæ. Denique sequeretur, materiam generari & corrumpi ab agente naturali: nam illud generatur, quod accipit nouam existentiam per generationem. Sequeretur non esse materiam eandem in genito, quæ est in corrupto; periret enim materia pereunte existentia formæ: quid autem est corrumpi, nisi amittere existentiam?

Tertia ratio.

B Tertia pars asserit materiam habere propriam existentiam, etiam independentem ab existentia formæ; cõtra Suarez, Molinam, Fonsecan. Probat, autem, quia si existentia materiæ dependeret ab existentia formæ, vel penderet ab ea ut causa formali, vel ut à conditione: neutro modo est dependens: ergo nullo modo est dependens. Quod non pender ab ea ut causa formali, patet, quia existentia materiæ, ut dixi, non constituitur per existentiam formæ; pura enim potentia non constituitur per actum: sed neque pender ab ea ut conditione, quia effectus præsupponens existentiam suæ causæ non potest esse conditio prærequisita ad illius existentiam: forma est effectus materiæ: ergo forma non est conditio prærequisita ad existentiam materiæ.

Habet existentiam independentem à forma.

C Obicitur primò. Datur forma *corporeitatis*, saltem in homine, si ratio corporis non potest homini provenire à forma spiritali, quæ anima est: sed ratio corporis non provenit ab anima spiritali: ergo datur saltem in homine forma corporeitatis. Probat, maior, quia id quod est spirituale ac indiuisibile, non potest conferre formalem effectum corporeum, & diuisibilem: sed esse corpus est effectus formalis corporeus & diuisibilis: ergo esse corpus non provenit ab anima hominis. Deinde nulla est proprietas, quæ non emanet ab aliqua forma: quantitas est aliqua proprietas: ergo illa emanat ab aliqua forma; non potest autem emanare ab alia forma, quàm à forma corporeitatis.

Prima obiectio.

D Respondeo, rationem corporis non posse quidem protendere à sola forma, vel spiritali, vel materiali; sed posse provenire à qualibet forma, etiam spiritali, iuncta materiæ; quia *esse corpus non est aliud quàm esse compositum ex materiæ & forma*; qualibet autem forma iuncta materiæ facit huiusmodi compositum. Concedo nullam esse proprietatem actiuam, quæ non emanet ab aliqua forma; proprietates autem sustentatiuæ, cuiusmodi est quantitas, non emanat à forma, sed à materiæ.

E Obicitur secundò. Illud, quod nihil est, nisi potentia, nullum includit proprium actum: pura potentia nihil est nisi potentia, existentia verò est actus: ergo materia quæ pura est potentia, nullam includit in se propriam existentiam. Deinde ex duobus entibus in actu fit unum per accedens: sed ex materiæ & forma non fit unum per accedens: ergo materiæ & forma non sunt duo entia in actu. Denique id quod constat potentia & actu, est completum: ergo si materia propriam habeat actum entitativum, erit completa.

Secunda obiectio.

Respondeo, materiam esse puram potentiam *passivam*, quia nullum, ut dixi, actum physicum includit; sed non esse puram potentiam *obiectivam*, quia includit actum metaphysicum, seu existentiam. Illud ergo; quod est pura potentia passiva, includit actualem existentiam, seu actum metaphysicum; non includit actum vllum physicum. Deinde verum est, quod ex duobus entibus in actu completo fit unum per accedens; ex duobus autem entibus in actu incompleto fit unum per se, quod certe fieri non potest nisi ex entibus in actu. Denique, quod constat

constat ex potentia & actu physico, est ens completum; quod constat ex potentia & actu metaphysico, non est ens completum, sed esse potest incompletum.

Obiicitur tertio. Forma materialis in suo esse pendet à materia: ergo multò magis materia in suo esse pendet à forma, quæ multò est perfectior quàm materia, & magis actualis. Deinde sicut materia est prior quàm forma in genere causæ materialis, sic forma prior est quàm materia in genere causæ formalis. Denique forma est causa formalis compositi secundum aliquid ipsius compositi; non est causa compositi secundum formam, alioqui esset causa sui ipsius: ergo est causa compositi secundum materiam.

Respondeo concedendo quod forma materialis pendet à materia; nego tamen quod materia pendet à forma, quia licet materia sit minùs perfecta, quàm forma, prior tamen est quàm forma; unde implicat ut pendeat à forma tanquam ab aliquo priori; existeret enim priùs & posterius, quod implicat; licet enim materia sit prior formæ secundum entitatem, forma tamen non est prior materiæ nisi secundum informationem; materia videlicet non aliter pèdet à forma nisi secundum informationem, & in genere causæ finalis. Quomodo autè possint causæ sibi esse mutua causæ, dicetur sequenti disputatione. Denique nego illam maiorem; forma est causa compositi secundum aliquam partem compositi; est enim causa compositi totius ut totum est, quod non est causare aliquam partem compositi, sed esse partem compositi.

S. V.

An, & quomodo materia possit existere sine omni forma.

Hæc difficultas ex precedenti nascitur; Thomista liquidem, quibus visum est materiam existere per existentiam formæ; inferunt hinc, quod materia ne diuinitus quidem separari potest ab omni forma. Controvertitur itaque primò, utrùm naturaliter separatio hæc sit possibilis; secundò, utrùm sit possibilis supernaturaliter; tertio, quod est difficilius, utrùm conseruatio illa materiæ sine omni forma esset naturalis, an supernaturalis.

Dico quartò, materiam primam, tametsi naturaliter nequeat separari ab omni forma, tum substantiali, tum accidentali, diuinitus tamen separari posse.

Primæ partis ratio est, quia corruptio vnius formæ semper generatio est alterius; idest nunquam agens potest corrumpere vnam formam, quin alteram introducat; ergo non potest materia existere sine omni forma. Probatur antecessum, quia non potest agens naturale destruere vnam formam, nisi per introductionem dispositionum contrariarum; sed illæ dispositiones productiue sunt alterius formæ; ergo naturaliter nunquam vna forma destitui potest, quin altera introducat. Quæ ratio etiam probat materiam non posse separari ab omni accidente; si enim à forma substantiali nequit separari; ergo neque carere potest omni accidente, sine quo esse non potest forma.

Speciatim autem, quod quantitas non possit separari à materia, probatur, quia quidquid separatur à subiecto, vel corrumpitur ex defectu causæ conseruantis, vel per corruptionem subiecti, vel per introductionem contrarij. Causa conseruans quantitatem Deus est; subiectum eius est materia incorruptibilis; contrarium nullum habet; ergo quantitas naturaliter separari non potest à materia, cuius proprietates est inseparabilis. Imò dubitatur à pluribus, utràm ab ea distinguatur, ut dicitur *disput. 3.*

Colliges ex his cum Cardano *lib. 1. subtili art.* formam quamlibet corruptibilem necessariò conser-

R. P. de Rhodes curs. Philosoph.

Anatu iri, si forma subsequens vel arte, vel casu impediatur; indeque totam præseruandi artem & methodum originem habere. V. g. in sanguineis, temperantiam conseruatum iri per aquam frigidam, quia illa impedit bilis generationem.

Secunda pars nullà eget probatione, quia cum materia prima existentiam habeat distinctam, & independentem ab existentia formæ, ut ostensum est, certè nulla excogitari potest ratio, cur Deus materiam separare non possit ab omni forma. Si enim separare potest accidens ab omni subiecto, quantò magis materiam à formis.

Obiicitur primò. Id quod habet existentiam independentem naturaliter à forma, potest naturaliter existere sine forma; materia prima existentiam habet naturaliter independentem à forma; ergo materia prima potest naturaliter existere sine forma. Confirmatur, quia potest anima rationalis existere sine materia, quia eius existentia est independentes ab existentia materiæ; ergo si existentia materiæ independentes est à forma, potest materia existere sine forma etiam naturaliter.

Respondeo, negando primam maiorem; quod enim habet existentiam independentem à forma, potest tamen ita illi connexum esse, ut nullis naturæ viribus possit ab ea separari, nisi per dispositiones, quæ nouam inducant formam. Vnde ad confirmationem negatur paritas, quia nunquam materia separatur naturaliter à forma nisi per inductionem formæ impossibilis in ipsam materiam; forma verò separari potest à materia sine productione rei vllius in ipsa forma.

Obiicitur secundò. Si possit dari aliqua forma, quæ definat esse in materia, quamuis nulla introducat nova forma, poterit materia naturaliter existere sine omni forma; sed est possibilis aliqua forma, quæ definat esse in materia, quamuis non introducat alia vlla forma; sicut dantur formæ accidentales, quæ in materia desinunt ex solo defectu causæ conseruantis, cuiusmodi sunt lumen, & impetus impressus, quibus pereuntibus, nullum introducit contrarium; ergo posset tunc naturaliter materia existere sine omni forma.

Respondeo, experientia nobis constare, quod generatio vnius naturaliter est corruptio alterius, atque aded nulla nunc datur forma substantialis, quæ definire possit sine introductione alterius formæ; sicque nunc materia non potest naturaliter esse sine omni forma. Non constat autem, an sit possibilis aliqua forma talis naturæ, ut definat sine dispositionibus contrariis, quæ inducant aliam formam; illa si daretur posset materia existere sine omni forma, nunc autem non potest.

Obiicitur tertio. Si materia diuinitus separatur ab omni forma, & ita separata conseruaretur, vel illa cōseruatio esset miraculosa, vel non; neutrum videtur posse dici. Non primò, quia materia separata sic ab omnibus formis, non exigeret specialem Dei concursum ut conseruaretur, sed per eundem concursum, quo conseruabatur sub formis, conseruare extra illas. Neque dici potest secundum, quia illa conseruatio miraculosa est, quæ non potest fieri naturaliter; sed materia naturaliter conseruari non potest sine omni forma; ergo eius conseruatio sine forma esset miraculosa.

Respondeo, & dico quintò, conseruationem materiæ separatæ ab omnibus formis, supponere quidem miraculum priùs factum separationis diuinitus causatæ; sed non esse tamen vllò modo nouum miraculum, atque ita illam esse purè naturalem. Contra Suarezem *disput. 15. sect. 9. m. 7.* Vasquezem *1. p. disput. 274. n. 19.* Fonsecam, Hurtadum, & alios. Sed mihi tamen

I 3 Ratio

Supernaturaliter potest existere.

Prima obiectio.

Secunda obiectio.

Tertia obiectio.

Assertio.

Triplex probatio.

Ratio est primò à pari; si enim Deus crearet animam rationalem sine omni corpore, illa creatio esset *præternaturalis*, & miraculosa; sed permanentia tamen, & conservatio talis animæ purè naturalis esset, non autem miraculosa: sed eadem omnino ratio est materiæ, quæ sine omnibus formis conservaretur: ergo licet separatio eius ab omnibus formis esset miraculum, eius tamen permanentia in esse non esset nisi purè naturalis. Deinde si conservatio materiæ sine formis esset miraculum distinctum à prima separatione formarum, sequeretur quod materia sic spoliata omnibus formis deberet annihilari naturaliter: consequens illud falsum est: ergo conservatio materiæ sine omnibus formis non est miraculum, etiam si supponat miraculum. Probatur minor. Illud quod est prius alio, & in suo esse ab eo est independens, non debet eo separato statim annihilari: sed materia prior est, quàm forma, & in suo esse independens est ab illa: ergo materia non debet annihilari desinentibus omnibus formis; quod enim debet desinere altero desinente, pendet ab illo in suo esse. Denique materia spoliata omnibus formis non exigeret specialem vllum concursum; sed eodem illo concursu conservaretur, quo existeret habens formam: ergo illa conservatio non esset miraculosa. Probatur antecedens. Novus Dei concursus non est necessarius nisi ad supplendam causalitatem aliquam formæ in entitate materiæ; sed si materia in sua entitate non pendet à forma, nulla suppleri debet causalitas formæ in materiam: ergo non est necessarius novus Dei concursus ad conservandam materiam sine vlla forma.

Prima obiectio.

Obiicitur primò. Rei conservatio in statu violento, & præternaturali, esse non potest naturalis; sed conservatio materiæ sine forma, esset conservatio eius in statu violento & præternaturali: ergo illa conservatio non esset naturalis. Probatur maior. Tunc res aliqua miraculose conservatur, quando conservatur in statu in quo non potest esse naturaliter: sed quod conservatur in statu violento & præternaturali, conservatur in statu in quo naturaliter esse non potest: ergo illud conservatur miraculose.

Respondeo negando, quod rei conservatio in statu violento & præternaturali sit miraculosa; multum enim differunt esse *præternaturale*, & esse *supernaturale*, seu miraculosum. Esse præternaturale, est desiderare aliquid, quod exigeret natura, sicut tunc forma desideraretur, quam materia exigit naturaliter; supernaturale verò est, quod est supra exigentiam omnis naturæ: non esset autem supra exigentiam materiæ spoliatæ omni formâ permanere in esse. Itaque conservatio hæc materiæ naturalis esset, si naturale opponatur miraculoso; non esset naturalis, si naturale opponatur præternaturali, & violento. Ad probationem respondeo materiam supposito primo miraculo esse posse naturaliter sine omni forma. Cum ergo dicitur, materiam naturaliter esse non posse sine omni forma, si illud esse significet primam separationem, conceditur; si significet conservationem, quæ supponat distinctionem miraculosam, negatur.

Secunda obiectio.

Obiicitur secundò. Conservatio accidentis extra subiectum non minus est miraculosa, quàm positio eius extra subiectum; idem dico de forma materiali, quæ poneretur extra subiectum: ergo idem dicendum est de materia. Similiter quamvis ignis non pendeat à calore, & essentia non pendeat à proprietatibus, quamvis materia non pen-

deat à subsistentia, & à quantitate; non possunt tamen illa conservari nisi miraculose, etiam post factam separationem: ergo similiter conservatio materiæ sine formis esset novum miraculum.

Respondeo, conservationem accidentis & formæ substantialis extra subiectum esse miraculosam, quia tunc accidens, tum forma materialis pendet in suo esse intrinsecè à subiecto, à quo sustentantur; materia verò, ut sæpè dixi, non pendet à formâ in suo esse; ideòque nullus est influxus formæ in materiam, qui suppleri à Deo debeat peculiari aliquo concursu. Similiter ignis pendet à calore tantquam à dispositione ac conditione sine qua introducit frigus productivum alterius formæ, per quam expellitur forma ignis: idem dico de multis proprietatibus essentiarum; materia verò non pendet à forma etiam ut conditione; sed neque pendet à subsistentia & quantitate; unde conservatio materiæ sine illis non esset miraculosa, quamvis miraculosa esset separatio.

Obiicitur tertio. Eadem actione conservatur materia sine formis, qua crearetur primum absque formis: sed positio materiæ sine formis esset miraculosa: ergo conservatio etiam esset miraculosa. Similiter conservatio materiæ, cum actu ab ea separarentur formæ, miraculosa esset: sed eadem actio esset durans post separationem: ergo illa esset etiam miraculosa.

Respondeo duo distinguenda esse in actione, qua crearetur materia excludendo formas. Primum est actio ipsa entitativè: secundum est connotatio separationis ab omni forma. Actio ipsa in se non esset miraculosa, sed tantum secundum connotationem. Fateor quod materia eadem actione secundum entitatem crearetur primum sine formis, & conservaretur postea sine illis; sed non eadem actione secundum connotationem, creatio enim illa connotaret miraculum, quod non connotaret conservatio. Si autem fermo sit de pura creatione materiæ, tunc certè illa non esset supernaturalis, sed tantum præternaturalis.

§. VI.

De Quenam sint proprietates materiæ, ac primum appetitus eius ad formas.

Quæ hæcenus dicta sunt, ad essentiam pertinent materiæ, nunc prima eius proprietas dicitur esse appetitus ad formas omnes, qui solam propensionem & inclinationem superaddit potentia.

Dico sextò. Materia prima appetitum habet naturalem ad omnes formas, non simul, & collectivè sumptas; sed seorsim, & divisivè. Ita communiter traditur à Philosophis, quod ut explicem.

Observe primò, nomen *appetitus* in genere significare inclinationem & propensionem rei alicuius in aliquod bonum, tanquam conveniens ipsi rei. Duplex autem est appetitus, alter *naturalis*, alter *elicitus*: naturalis, seu innatus, est potentia & capacitas innata ad aliquid tanquam ad bonum proportionatum & conveniens, siue potentia cum inclinatione ad aliquod bonum: v. g. cum terra dicitur appetere locum infinitum, hic appetitus est capacitas terræ ad locum illum occupandum tanquam aliquod bonum naturaliter proportionatum: inclinatio autem illa & propensio, est convenientia & proportio eius rei cum tali bono. Appetitus elicitus est inclinatio alicuius rei ad bonum cognitum intellectu vel sensu; id est actus potentia affectuæ.

Assertio.

Appetitus quid & quod duplex.

fectiua circa obiectum aliquod, vt bonum & conueniens. Diuiditur iterum appetitus in appetitum *complacens*, qui est propensio in bonum praesens, & possessum; & appetitum *concupiscentia*, qui propensio est in bonum absens.

Obserua secundò, formas omnes posse duobus modis appeti. Primò *collectiue*, secundò *diuisiue*. Collectiue appeteret formas omnes materia, si appeteret informari eodem tempore omnibus simul formis: diuisiue appetuntur, si nulla sit forma, quam non appetat, ex suppositione quod non habeat aliam vllam formam. His positis,

Ratio posita assertionis est, quia materiam habere appetitum ad omnes formas, est materiam ita esse proportionatam omnibus formis, vt quamvis vnā habeat formam, alias tamen aequaliter habere possit: sed materia est eo modo proportionata omnibus formis: ergo materia naturalem habet appetitum ad omnes non collectiue, quia hoc est impossibile; sed diuisiue, id est, nulla est forma, quam habere non possit, si priuatur altera forma.

Obiicitur primò. Si materia prima huiusmodi appetitum habet ad omnes formas, sequitur illam esse semper in statu violento, quod admitti non debet. Probatur autem, quia quod est contrarium appetitui naturali, violentum est: sed carentia formarum, quas materia non habet, & appetit, est contra naturalem appetitum materiae: ergo materia semper est in statu violento.

Resp. negando, materiam esse semper in statu violento. Ad probationem distingo maiorem; illud est violentum, quod est contrarium appetitui proximo, cui res illa sit debita in eo statu, concedo; quod est contrarium appetitui tantum remoto, cui res ea non est debita in eo statu, nego: carentia formarum, quas materia non habet, est contraria proximo appetitui materiae, & illa debita sunt materiae habenti alias formas, nego; contraria est appetitui remoto, concedo. Appetitum illum materiae ad formas, quas non habet, dico esse tantum remotum, quia proximè non potest recipere illas formas, nisi prius amiserit alias formas.

Obiicitur secundò. Si materia vnā habens formam appetit alias formas, appetit dimittere formam illam, quam habet; quod verum esse non potest. Probatur sequi. Materia non potest appetere formam nisi appetat ea dimittere, quae impossibilitatem habent cum tali forma: sed forma quam habet, impossibilis est cum aliis formis: ergo materia appetit dimittere formam quam habet.

Resp. distinguendo illam maiorem; si materia formas alias appetit dum est sub vna forma, formam illam appetit dimittere, quam habet, si appetit formas illas absolute, ac sine vlla conditione, concedo; si appetit solum sub conditione quod amittat alias formas, nego. Materia igitur simul quidem habet appetitum ad omnes formas habendas, sed non ad illas habendas simul; quod est impossibile: sicut intellectus habet simul vim ad actus contrarios, sed non ad illos habendos simul.

Obiicitur tertio. Si materia formas appeteret, deberet etiam appetere formas corruptas, quod falsum est, quia naturalis appetitus fertur in rem possibilem naturaliter. Probatur sequi; nam materia eadem est post corruptionem formae, ac ante corruptionem.

Resp. ex dictis de potentia materiae, quod materia retinet appetitum ad formas corruptas conditionatum duntaxat, & ex suppositione quod ali-

quod agens illas produceret: non retinet appetitum absolutum, eo quod nullum sit agens naturale, quod possit illas producere. Verum est, quod appetitus nunquam fertur absolute in rem impossibilem, sed certum tamen est, quod ferri aliquando potest conditionate.

Obiicitur quartò, sequi quod materia magis appetit formas nobiliores, quam formas minus nobiles; quia cum forma sit bonum materia, certe melior forma maius est eius bonum.

Resp. materiam aequaliter appetere omnes formas, neque magis appetere formas magis nobiles, quam formas minus nobiles. Ratio est, quia appetitus sequitur potentiam materiae; materia vero non est magis receptiua formae nobilis, quam ignobilis: imò non appetit formam nisi quia per illam completur; aequè autem completur per formam ignobilem, ac per magis nobilem. Itaque falsum est quod forma nobilior maius sit bonum materiae, quam forma ignobilior, quia materia non respicit formam sub ratione talis formae, sed tantum sub ratione formae.

S. VII.

An, & quomodo materia unitatem habeat specificam.

Hæc etiam est proprietas materiae, de qua conuertiuntur primò, vtrum de facto materiae omnium corporum, saltem sublunarium, vnius sint speciei; nam de materia corporum coelestium infra disputabitur: secundò, vtrum sit possibilis aliqua materia prima diuersae speciei ab ista, quae subiectum est omnium formarum.

Dico septimò. Materia prima corporum omnium corruptibilium sublunarium, est vnius tantum speciei, quāvis nullo argumento euinci posse videatur, quod non sit possibilis materia rerum corruptibilium diuersae à nostra speciei.

Prima pars quae agit de facto, post Platonem & Aristotelem communis est inter omnes. Ratio eius est, quia potest transmutari quodlibet corpus in aliud corpus: ergo potest materia cuiuslibet corporis recipere aliam quamlibet formam; v. g. materia, quae habet formam terrae, habet deinde formam arboris, mox aëris, deinde animalis, & sic deinceps. A priori ergo ratio est, quia *qualibet forma specificatur ab obiecto & actu adaequato*: sed omnes materiae corporum sublunarium respiciunt eundem actum adaequatū; respiciunt enim omnes formas, quas possunt recipere: ergo materiae omnes sublunares eiusdem sunt speciei.

Secunda pars quae agit de possibili, asseritur ab Hurtado, Arriaga, Auerfa; negatur à Suare *disputat. 13.* qui tamen ait materiam rerum incorruptibilium specie differre à nostra. Probatur autem primò, quia non apparet vlla repugnantia in eo quod detur aliqua materia capax aliquarum tantum formarum, non tamen omnium: sed illa materia specie differet à nostra: ergo potest dari materia diuersae speciei à nostra. Probatur maior, quia id quod est receptivum vnius formae, non est necessariò receptivum omnium formarum, alioqui quantitas, quia receptiua est accidentium materialium, esset etiam receptiua formarum substantialium: ignis qui receptivus est caloris, posset recipere accidens spirituale: anima quae receptiua est accidentium spiritualium, esset etiam receptiua quantitatis: ergo potest dari materia prima receptiua quarundam tantum formarum,

Quarta obiectio.

Assertio huiusmodi.

Quid de facto.

Quid de possibili.

& non omnium. Confirmari potest à pari; sicut enim datur sensus internus perceptiuus omnium obiectorum sensibilium, & sensus externi perceptiuus aliquorum tantum, ita potest dari materia prima receptiua formarum omnium, & aliqua materia receptiua quarundam tantum formarum, & non omnium.

Prima obiectio.

Obiicitur primò contra primam partem. Formæ substantiales possibiles sunt numero ac specie prorsus infinitæ, sed materia prima non potest recipere formas infinitas, alioqui erit infinita capacitatis: ergo qualibet materia non potest recipere omnes formas.

Resp. distinguendo minorem; materia prima non potest recipere infinitas formas simul, concedo; sic enim vim haberet receptiuam infinitam: non potest recipere successiue, ac diuisiue, nego; non enim sequitur quod sit infinita: sicut oculus etiam si colores infinitos successiue videre potest, non est propterea infinitus.

Secunda obiectio.

Obiicitur secundò, contra secundam partem. Materia prima, quæ diuersa speciei esset à nostra, vel erit subiectum primum vniuscuiusque, sique non differet specie à nostra; vel non erit subiectum primum, & sic non erit materia prima. Probatur, quia idem tantum materia prima nostra est subiectum vniuscuiusque, quia est subiectum primum, & pura potentia: illa materia esset subiectum primum, & pura potentia: ergo esset subiectum primum vniuscuiusque.

Resp. materiam illam primam quæ specie differet à nostra, non fore subiectum primum vniuscuiusque formæ, sed aliquid tantum. Ad probationem negatur maior; nam idem materia est subiectum vniuscuiusque, quia est pura potentia vniuersalis ad omnes formas. Neque verum est, quod nos idem tantum sciamus materiam nostram esse potentiam vniuersalem, & subiectum vniuscuiusque, quia est subiectum primum: hoc, inquam, nego, quia idem scimus materiam esse potentiam vniuersalem, quia est capax recipiendi formas omnes à nobis cognitæ; de formis ignotis non laboramus.

Instantia.

Instantis. Hæc materia, quia receptiua non erit nisi aliquarum formarum, habebit aliquid per quod repugnet cum aliis formis: ergo non erit pura potentia, quia non erit tantum potentia, sed aliquid aliud.

Resp. negando consequentiam, quia talis materia sic erit potentia huius formæ, cuius est receptiua, ut nihil includat per quod sit actus physicus; sicut materia dicitur pura potentia; quamuis receptiua non sit accidentium spiritualium.

Tertia obiectio.

Obiicitur tertid. Non requiritur maior vis ad recipiendam vnā formam, quam ad omnes recipiendas: ergo materia quæ poterit recipere vnā formam, poterit omnes recipere. Probo antecedens. Non requiritur maior perfectio ad recipiendas formas perfectiores, quam ad recipiendas imperfectiores: ergo ad recipiendas omnes formas non maior requiritur perfectio quam ad vnā.

Resp. negando antecedens; nam sicut maior requiritur perfectio ut possis cognoscere omnia sensibilia, ut sensus internus cognoscit, quam ad cognoscendum vnum, ut cognoscit oculus; ita maior vis requiritur in materia, ut recipere possit formas omnes, quam vnā tantum. Ad probationem negatur etiam antecedens, & eadem explicatur similitudine sensuum.

S. VIII.

An, & quomodo materia prima sit ingenerabilis, & incorruptibilis.

Hæc est vltima materiæ proprietas; nam cognoscibilitas eius, de qua vltius quæri poterat, nihil habet difficile: materia enim nunquam cognosci potest sine ordine ad formam, cum ad illam referatur essentialiter. Cognoscit eam Deus, & cognoscunt Angeli conceptu proprio & distincto, quia sine metaphora, & sine analogia illam cognoscunt. Nos proprio conceptu illam cognoscimus, sed partim distincto, partim confuso; vel enim eius existentiam inquirimus per mutationem, & sic cognoscitur per analogiam ad res artificiales mutatio substantialis, atque aded materia: vel post inquisitionem existentie dicimus illam esse primum subiectum, & sic proprium de illa conceptum formamus, sed partim confusum, quia ratio subiecti est communis pluribus, & ratio subiecti primi est negatiua.

Dico octauo. Materia prima est ingenerabilis, assertio. & incorruptibilis, etiam si sit principium corruptionis.

Ratio est, quia omnis generatio fit ex præsupposito subiecto: sed materia, quæ subiectum est primum, non potest fieri ex præsupposito subiecto: ergo materia non generatur: sed neque corrumpi potest, cum corruptio sit destructio rei, quæ sit manente aliquo subiecto; subiectum autem primum, destructi non potest manente aliquo eius subiecto, alioqui primum non esset: ergo subiectum primum non potest corrumpi.

Obiicitur primò. Si materia prima esset incorruptibilis, totum compositum denominari ab ea deberet incorruptibile, sicut ab ea denominatur corporeum & materiale: hoc consequens est absurdum: ergo materia non est incorruptibilis.

Resp. prædicata negatiua multum ab affirmatiua differre; nam affirmatiua licet vni tantum parti conueniant, possunt tamen attribui subiectis: negatiua non possunt attribui, nisi vtrique parti conueniant. Homo v. g. potest dici intellectiuus ab anima, dici non potest immortalis, quamuis anima non minus sit immortalis quam intellectiua. Ratio est, quia negatio malignantis est natura, negatque totum; vnde conuenire debet cuilibet parti: at verò affirmatio requirit solum reperiri in aliquo ex subiectis id quod affirmat; v. g. homine vno corrente dici potest, homo currit. Esse incorruptibile, prædicatum est negatiuum, quod non potest affirmari de composito, nisi conueniat omnibus eius partibus: quod idem dici debet de spirituali; non enim dicere licet, hominem esse spiritalem, quamuis anima eius sit spiritualis.

Obiicitur secundò. Nulla est forma, quæ non tribuat denominationem subiecto in quo est: generatio est in materia tanquam in subiecto: ergo denominat materiam generabilem.

Resp. subiectum generationis & corruptionis non posse dici generari aut corrumpi; sicut oculus, qui est subiectum visionis, non dicitur videri, sed terminus eius: potest quidem subiectum generationis denominari habens, seu recipiens generationem, sicut oculus dicitur recipiens visionem; non tamen materia generari. In forma igitur distinguo maiorem; omnis forma tribuit subiecto denominationem habentis & recipientis, concedo; tribuit denominationem termini, nego.

Materia

Cognoscibilitas materiæ.

Prima obiectio.

Secunda obiectio.

Materia denominatur per generationem, tanquam eam recipiens, concedo; tanquam generabilis, nego: quia solus terminus generatur, materia verò mutatur per generationem.

Tertia obiectio. Obiicitur tertio. Materia dici non potest incorruptibilis, si æquè corrumpitur ac homo: sed æquè corrumpitur; nam idèd compositum humanum corrumpitur, quia dissoluitur unio partium eius, quæ tamen manent incorruptæ; dissoluitur autem unio partium materia, quæ manent incorruptæ.

Resp. materiam non posse dici corruptibilem propter dissolutionem partium integralium, sicut homo dicitur corruptibilis propter corruptionem partium essentialium; nam quod manet sublatâ unione partium essentialium, non potest denominari amplius homo; quod verò manet sublatâ unione partium integralium, adhuc potest denominari materia; homo itaque corrumpitur, non corrumpitur materia.

SECTIO III.

De Priuatione.

Expositâ materiâ primâ, quæ principium est corporum *per modum subiecti*, venio ad priuationem, quæ principiat *ut terminus à quo*. In hac autem duo sunt difficultia: primò eius natura & realitas; secundò, an, & quando sit principium.

§. I.

Priuationis natura, & realitas.

Quid sit priuatio. Certum est primò, priuationem rectè definiti, *est carentia formæ in subiecto ad eam recipiendam apto*; quia videlicet illa in duobus à negatione differt, conuenit in duobus. Conueniunt, quòd ambæ sint carentiæ, ac remotiones rei alicuius; deinde quòd neutra causam habeat propriè dictam; quod enim est non ens, causam non habet à qua efficiatur. Differunt quòd negatio non semper sit in subiecto, ac proinde non sit semper coniuncta cum aliquo positiuo, vt homo non existens; priuatio verò semper sit in subiecto aliquo, ac proinde coniuncta semper sit alicui positiuo, vt cæcitas est in oculo. Deinde, quòd negatio non dicat aptitudinem in subiecto ad eam recipiendam, vt carentia visus in lapide; priuatio verò dicat semper illam aptitudinem subiecti ad recipiendam formam, vt priuatio visus in homine. Vnde fit, vt priuatio semper oriatur in subiecto ex aliqua causâ extrinseca, & sit illi accidentalis; negatio verò semper oriatur ex causâ intrinseca, & sit essentialis subiecto, quando illi inest. Ex quo etiam fit, vt neutra intelligi possit nisi per formas oppositas, idest, nisi simul represententur formæ oppositæ; quòd enim est merum nihil, non est per se intelligibile.

Quomplex sit priuatio. Certum est secundò, priuationem commode posse dici *aliâ substantialem*, quia est carentia formæ substantialis; *aliâ accidentalem*, quia est carentia formæ accidentalis, vt priuatio luminis in aëre. Deinde priuatio alia dicitur *remota*, quæ conuenit subiecto non habenti vllam dispositionem accidentium ad formam, vt materiæ ligni non calefactæ conuenit priuatio formæ ignis; alia dicitur *proxima*, quæ conuenit materiæ habenti omnes dispositiones ad formam. His positis.

Controuertitur, utrùm priuatio & negatio dici possint entia realia, non positiuè quidem, sed negatiuè. Vocant *ens reale positiuè*, illud, quod habet *essentialiam*, à qua emanant reales proprietates: *Realia*

A verò *negatiuè*, illud, quod non habet quidem entitatem positiuam, sed nullo tamen cogitante intellectu est non ens. Dicuntur v.g. esse tenebræ in aëre, quamuis nullus intellectus cogitet tenebras.

Dico primò, priuationem & negationem esse merum nihil, neque posse vocari entia realia negatiuè. Contra Tolertum, Auerfam, Conimbricenses, Pererium, & alios, qui spatia imaginaria vocant entia realia negatiuè, vt dicitur *disp. 4.* nunc breuiter.

Probatio. Ratio, est quia nihil dici potest reale quod non sit positiuum: priuatio & negatio non sunt posituæ: ergo dici non debent reales. Probatur maior. Illud nullo modo dici debet reale, quod nihil superaddit puro nihilo, omnis enim realitas est aliquid supra nihil, sed solum positiuum superaddit aliquid puro nihilo, negatiuum autem nihil superaddit: ergo solum positiuum est reale, negatiuum autem non est reale. Probatur minor. Illud non superaddit aliquid puro nihilo, quod reperitur in quolibet puro nihilo: sed realitas negatiua reperitur in quolibet puro nihilo, consistit enim in eò tantum, quod ante operationem intellectus sit non ens; omnis v.g. chimæra est impossibilis nullo cogitante intellectu: ergo ens purè negatiuum non est reale. Deinde, idèd priuatio dicitur realis, quia nemine cogitante forma ei opposita non est in subiecto: sed nemine cogitante chimæra non existit: ergo si priuatio est realis, chimæra erit realis. Denique cogitari potest aliquid, quod sit merum nihil, & nullo modo sit reale: sed huiusmodi est solum ens negatiuum, quod nullo intellectu cogitante nihil est: ergo illud nullo modo est reale.

Prima obiectio. Obiicitur primò. Illud, quod est in rebus nemine cogitante, dicitur esse realiter; idèd enim Petrus realiter est, quia est nemine cogitante: sed negationes & priuationes sunt in rebus nemine cogitante, homo enim est cæcus nemine cogitante; tenebræ sunt in aëre nemine cogitante: ergo priuationes & negationes sunt reales, saltem negatiuè.

D Resp. nego maiorem: nam vt aliquid sit realiter, non sufficit vt sit nihil, ante operationem intellectus; sed esse debet aliquid positiuum, alioquin non est vllò modo realiter, vt probabam. Verum est, quod ante operationem intellectus oculus est cæcus, tenebræ sunt in aëre: sed nego Petrum esse cæcum realiter, aut tenebras esse realiter in aëre.

Secunda obiectio. Obiicitur secundò. Esse reale negatiuè nihil aliud est, quàm esse fundamentum propositionis affirmatiuæ veræ ante operationem intellectus: sed priuationes & negationes sunt huiusmodi; nam affirmatiua hæc propositio vera est, *Petrus est cæcus: Aër est tenebrosus*: ergo priuationes sunt reales negatiuè.

E Resp. negando maiorem; nam esse fundamentum propositionis affirmatiuæ veræ non magis sufficit ad realitatem, quàm esse fundamentum propositionis negatiuæ veræ; imò propositiones, quarum prædicata sunt priuationes vel negationes, quamuis videantur affirmatiuæ, sunt tamen virtualiter negatiuæ; cum enim dicitur oculum esse cæcum, significatur facultatem visiuam non esse in oculo.

Tertia obiectio. Obiicitur tertio. Illud quod dicit realem habitudinem ad aliud, est reale: priuatio dicit realem habitudinem ad subiectum aptum: ergo priuatio est realis. Imò priuationes sunt aliquid sensibile, videmus enim umbras, foramina, tenebras: ergo sunt reales.

Resp.

Resp. negando minorem; nam quamvis priuatio sit in subiecto habente priuationem, non habet tamen relationem realem ad subiectum, sed potius in subiecto habente priuationem duo considerantur: primò carentia formæ, deinde aptitudo subiecti ad formam recipiendam; quæ aptitudo est relatio subiecti ad formam, quam potest recipere; relatio autem priuationis ad formam non est realis. Falsum etiam est, videri priuationes: umbram non videt oculus, sed videt lumen minus; tenebras non percipit, nisi quia non videt lumen. Eadem est ratio foraminum.

§. II.

Virum priuatio sit principium cuiusunque generationis.

Assertio.

Dico secundò, priuationem, vel *actualem*, vel *virtualem*, esse principium generationis cuiusunque naturalis, quæ definitur, *Transitus forma à non esse ad esse in subiecto*.

Duplex modus generationis.

Obserua primò, generationem naturalem duobus modis euenire posse: primò, ita vt materia tempore præcedat formam, vt quando ignis nunc producitur ex ligno; tunc enim actualis priuatio est in materia: secundò, ita vt materia tempore non præcedat, sed eodem instanti quo creatur, fiat etiam forma: v.g. cum ab initio creauit Deus cælum, in eo instanti quo materia cæli primò est creata, forma etiam cæli per veram generationem est producta: quod idem etiam accidisset, si Deus ab æterno creasset cælum, siue hoc sit possibile, siue sit impossibile; materia enim cæli nullo instanti caruisset formæ cæli; & in mutatione accidentali sæpè hoc contingit, vt cum productus est Sol, eodem instanti productum est lumen; & cum generatur ignis, eodem tempore calor producitur: tunc certum est, quod nunquam calor actualis est in materia; ideoque difficultas est, quomodo tunc priuatio possit esse in materia.

Priuatio actualis, & virtualis.

Obserua secundò, priuationem formæ duplicem esse posse in materia, nimirum *actualem* & *virtualem*. Priuatio actualis est *non esse forma, quæ negari potest de subiecto*, v.g. lignum habet actualement priuationem formæ ignis. Priuatio virtualis est, *non esse forma, quæ licet negari non possit de subiecto, posset tamen ex se negari, nisi hæc actio, per quam ponitur, impediret*: v.g. in materia cæli, quando primò producta est, fuit virtualis priuatio formæ, quia quamvis forma hæc non potuerit negari de subiecto, potuisset tamen ex se negari, nisi per actionem generatiuam tunc esset posita, sicut potuit non poni. Si ab æterno conditus esset leo, nunquam in eius materia fuisset actualis priuatio, sed solum virtualis; quia quamvis de hac materia negari forma leonis non potuisset, negari tamen ex se potuisset, nisi per eam actionem æternam fuisset posita, sicut poterat non poni. His positis,

Ratio conclusionis est facilis, quia illud est principium cuiusunque generationis, quod est de intrinseco illius conceptu: priuatio vel actualis, vel virtualis est de intrinseco conceptu generationis, quæ definitur transitus formæ à non esse ad esse in subiecto: ergo priuatio est principium generationis.

Prima obiectio:

Obiicitur primò. Denominatio realis conuenire non potest non enti, quod est purum nihil: sed denominatio principij est denominatio realis, priuatio autem, vt dixi, est purum nihil: ergo denominatio principij conuenire non potest priuationi.

A Respondeo, denominationem principij *per modum termini à quo*, non esse realem, quia terminus à quo est ipsum non esse formæ, & purum non ens; vnde negatur minor propositi argumenti.

Obiicitur secundò. In materi cæli & elementorum non fuit vnquam priuatio formæ, sicut & in re ab æterno genita nunquam fuisset priuatio: ergo priuatio non est principium cuiusunque generationis.

Secunda obiectio.

Respondeo, verum esse quòd in materia cæli, & elementorum non fuit vnquam actualis priuatio, sed virtualis duntaxat. Respondere tamen malunt plerique Doctores distinguendo in eodem instanti temporis duo instantia naturæ: vnum in quo materia sit, & non sit forma, sed priuatio formæ; alterum in quo sit forma. Sed hæc responsio aliàs multipliciter impugnata est; quia ponit in eodem instanti temporis, formam & priuationem formæ affirmari de subiecto eodem in diuerso instanti naturæ, atque ita in eodem instanti temporis esset forma & priuatio formæ, possetque dici forma esse, & non esse, quod implicat: aliqui etiam in Eucharistia dici posset esse in eodem instanti temporis panem, & corpus Christi. Imò esse deberent in eadem materia eodem instanti temporis duæ formæ, quia in eo instanti quo est priuatio nouæ formæ, debet esse in materia prior forma. Verum est quod in eo instanti quo voluntas liberè agit, duo distinguuntur instantia naturæ, in quorum primo non licet dicere, *Nunc voluntas non agit*; sed, *Voluntas nunc determinat se ad agendum, & nondum concipitur agere*. Instans enim naturæ instans est dependentiæ, seu instans à quo, non in quo.

Obiicitur tertio. Terminus à quo generationis debet relinqui: priuatio hæc virtualis non relinquitur per generationem; nunc enim etiam in materia cæli est virtualis priuatio formæ cæli: ergo priuatio virtualis non est terminus à quo. Deinde generatio actualis exigit terminum à quo actualement: generatio cæli fuit actualis generatio: ergo debuit habere terminum à quo actualement.

Tertia obiectio.

Resp. distinguendo maiorem; terminus à quo generationis debet relinqui si illa sit mutatio actualis, concedo; si non sit mutatio actualis, nego: generatio illa cæli non fuit actualis mutatio, sed virtualis tantum. Deinde concedo, quod actualis qualibet generatio exigit actualement terminum à quo; priuatio autem illa virtualis est, cum tamen sit actualis terminus à quo.

§. III.

Virum priuatio principiet tunc quando est, an vero tunc quando non est.

Dixi priuationem esse principium generationis; non potest autem principiare generationem nisi vel tunc quando non est, immediatè scilicet antequam sit generatio, vel tunc quando est generatio, immediatè scilicet postquam fuit priuatio, & dicere de illa licet, *Nunc priuatio non est, & immedie ante fuit*.

Dico tertio, priuationem non principiare quando actu est ante generationem, sed quando primò non est, in instanti scilicet generationis. Ita communiter traditur à Doctores cum Sancto Thoma 1. part. quæst. 53. art. 3. quod antequam probem,

Assertio.

Obserua primò, ex iis quæ infra disputanda erunt, duo instantia temporis nunquam esse posse immediata, sed inter instantia duo semper interiacere

Instantia non sunt immediata.

cere partem diuisibilem in infinitum, vt probatur *dist. 3.*

Inceptio & definitio.

Obserua secundò, quædam entia incipere per primum esse, alia verò per vltimum non esse; quædam desinere per vltimum esse, quædam per primum non esse. Illud incipit per primum esse, de quo licet dicere, *hoc nunc est, & immediatè antea non erat*; vt homo genitus incipit per primum esse; licet enim dicere, *nunc homo est, & immediatè antea non erat*. Illud incipit per vltimum non esse, quando licet dicere, *nunc hoc non est, & immediatè post erit*, vt motus localis, & res successiuæ. Illud desinit per vltimum esse, de quo dicere licet, *nunc est, & immediatè post non erit*, vt instanti, illud desinit per primum non esse, de quo dicere licet, *nunc non est, & immediatè antea erat*, vt homo mortuus, & motus localis. Huiusmodi sine dubio est omnis priuatio formæ, quæ non desinit per vltimum esse, sed per primum non esse; nam in eo instanti, quo primum est generatio, licet dicere, *nunc priuatio non est, & immediatè antea erat*; cum eo instanti liceat dicere, *nunc forma est, & immediatè antea non erat*. His ita positis.

Probatio assertionis.

Ratio conclusionis est, quia priuatio tunc principiat generationem, quando primum est generatio; sed in eo instanti, quo primum est generatio, priuatio non est: ergo priuatio principiat eo instanti, quo primum non est. Probatur maior. Si enim priuatio non principiat quando primum est generatio, deberet principiare in instanti quod est immediatè ante generationem: sed hoc est impossibile, quia instantia temporis non sunt immediata: ergo priuatio principiat eo instanti quo primum est generatio.

Deinde tunc principium exercet actum principandi, quando est actus principandi: sed actus principandi est generatio: ergo priuatio tunc exercet actum principandi, quando est generatio. Denique tunc principium principiat, quando ex ipso fit aliquid: sed quando ex ipso fit aliquid, tunc est generatio: ergo principium principiat quando est generatio.

Minor primi syllogismi erat, quod non est priuatio eo instanti, quo primum est generatio. Probatur, quia forma & priuatio esse non possunt simul: sed quo instanti primum est generatio, est etiam forma: ergo eo primo instanti non est priuatio.

Prima euasio.

Neque dici potest, quod priuatio & forma possunt esse simul transeunter; ita scilicet, vt eo instanti, quo aduenit vna, pereat altera.

Contrà enim insto. Forma, & priuatio idèd esse non possunt simul permanentè, quia priuatio negat formam: sed etiam in transitu priuatio negat formam, quia est non esse formæ: ergo etiam in transitu implicat vt forma & priuatio sint simul. Deinde in eo instanti, quo verum est formam habere esse in materia, implicat vt dicatur habere non esse: sed in eo instanti habet esse: ergo implicat vt eo instanti habeat non esse. Denique quælibet propositio necessariò est vera vel falsa: sed si priuatio & forma sint simul, erit propositio eodem instanti vera & falsa: ergo implicat vt illæ sint simul etiam transeunter.

Altera euasio.

Neque minùs falsa est altera solutio nuper reiecta de duobus instantibus naturæ distinguendis in eodem instanti temporis. Sequeretur enim primò, falsum esse notissimum illud principium metaphysicum, *Implicat aliquid esse simul, & non esse*: secundò esse posse duas formas simul in materia pro-

A diuersis instantibus naturæ, vel etiam transeunter; imò etiam sequeretur quod priuatio & gratia simul essent: sequeretur Mariam Desiparam eo instanti quo sanctificata primum est, habuisse peccatum originale. Denique sequeretur quod in Sacramento Eucharistia simul essent panis & corpus Christi, quod impietati Lutherana proximum est.

Obiicitur primò. Tunc priuatio est principium, quando est terminus à quo: sed non est terminus à quo, nisi quando actu est: ergo priuatio non est principium, nisi quando actu est. Probatur minor. Terminus à quo semper est impossibilis cum termino ad quem: sed priuatio non est impossibilis cum forma, nisi quando priuatio actu est: ergo priuatio tunc est terminus à quo, quando actu est. Probatur minor, quia priuatio quando non actu est in subiecto, non est impossibilis cum forma in eodem subiecto: ergo non est impossibilis tunc quando non est.

Prima obiectio.

Resp. negando primam minorem; priuatio enim tunc est terminus à quo, quando desinit; desinit autem per primum non esse, idèd quando licet dicere, *nunc priuatio non est, & immediatè antea erat*: ergo priuatio est terminus à quo, quando non est. Ad probationem negatur etiam altera illa minor; priuatio non est impossibilis cum forma, nisi tunc quando est forma; nam duæ formæ sunt impossibiles in eodem subiecto, & tamen non sunt vnquam actu in eodem subiecto; quia impossibilitas in eo sita est, quod quando licet dicere, *nunc est hæc forma*, dicere liceat, *nunc non est altera*; si enim simul sunt in eodem subiecto, iam desinunt esse impossibiles.

Obiicitur secundò. Non esse priuationis est forma: sed per te non esse priuationis est terminus à quo: ergo forma est terminus à quo, quod absurdum est. Præterea, sicut causatio non potest esse nisi sit actu causa, sic principatio esse nequit nisi sit actu principium.

Secunda obiectio.

Resp. illa duo valdè distincta esse, quod non esse priuationis sit terminus à quo, & quod priuatio sit terminus à quo tunc quando non est. Prius illud falsum est, alioqui forma esset terminus à quo, vt rectè probat argumentum. Secundum autem verum est, vt probaui: vnde negatur minor primi argumenti. Deinde concedo, quod sicut causatio esse non potest nisi sit actu causa, sic esse non potest principatio nisi sit principium illud, quod physice insluit; sed nego de principio negatiuo quod principiat solum desinendo; nam de ratione talis principij est, vt non sit tunc quando principiat.

Obiicitur tertio. Quories duo aliqua identificantur, si vnum illorum sit, necesse est vt existat etiam aliud: sed priuatio & principium identificantur; si enim non identificarentur, non liceret dicere, *priuatio est principium*; cum copula est, dicat identitatem extremorum: ergo quando licet dicere, *principium est*, licet dicere, *priuatio est*: sed in instanti generationis dicere licet, *actu est principium*: ergo licet dicere, *priuatio est*.

Tertia obiectio.

Resp. aliud esse dicere, *nunc priuatio est actu principium*; & *nunc principium est, seu existit*; sicut valdè differunt dicere, *Petrus est mortuus*; & *Petrus mortuus est*, idèd, *existit*. Sicut igitur non licet dicere, *Petrus est mortuus*: ergo est; ita dicere non licet, *Priuatio est principium*: ergo est; sunt enim illi termini distractiui, cum principium quod est priuatio, sit terminus à quo, qui principiat desinendo. Itaque ad argumentum conceditur totus syllogismus, sed assumptum illud distinguitur:

distinguitur: sed in instanti generationis dicere licet, *est actu principium*; si enim sensus sit, id quod est principium generationis, existit actu, nego assumptum; si verò sit sensus, in instanti generationis privatio principii, conceditur assumptum, sed consequentia est falsa.

SECTION IV.

De forma substantiali prout est principium.

Expositis duobus principiis corporum, sequitur tertium, quod nobilitate, varietate, pulchritudine longè præit alia duo; forma videlicet, pulchritudo ipsa, & decus omnium, character naturæ, sigillum essentiae, proprietatum radix, principium motuum, à qua emanat varietas, multitudo & decor rerum omnium. De illa dici video posse quatuor, primò existentiam, secundò quidditatem, tertio diuisiones, quarto proprietates.

S. I.

Verum admitti necessario debeant formæ substantiales.

Nomina
formæ sub-
stantialis.

Nomine formæ substantialis hîc intelligitur pars illa compositi, quæ determinatè complendo materiam, vltimò constituit corpus in essentia sua, & quidditate. Mirum est quàm multis, & quàm variis nominibus appellauerint eam Plato, Aristoteles, & eorum discipuli. A Platone appellatur *species*, *diuinum*, *pulchrum*, *optimum*, quòd ab ea deriuatur pulchritudo rerum omnium naturalium. Appellatur etiam eam *mentem*, quòd adumbrata sit primi actus similitudo; appellatur *sigillum*, & *characterem*, quòd cuique rei imprimatur notam, qua dignosci possit. Denique appellatur *terminum*, quòd materiam vagam & diffusentem certis finibus coerceat, velut norma quædam & figura rerum. Pythagoras appellatur *unum*, quòd vagam ac incertam materiam rationem in vnâ certam speciem contrahat, cum indifferentia materię sit veluti causa diuisionis; vnde est illud Pythagoricum dogma, quod *re vnâ tria sint initia, infinitum, vnus, & duo*, hoc est, Deus, forma, materia.

Aristoteles appellatur *τὸ θεῖον*, *diuinum quiddam*, *τὸ ἀγαθόν*, quòd sit per se appetibilis; *σινὴν γενεῶν*, *rationem*, & *quidditatem*, quòd ab ea potissimum petatur rerum definitio; de nomine verò *τὸ ἐντέλεστον*, postea dicam. Nunc quod ad existentiam huius formæ attinet.

Conclusio.

Dicendum primò est, dari formas verè substantiales à materia distinctas, quæ cum illa faciunt vnũ per se. Hæc est Philosophorum omnium vox post Platonem & Aristotelem; ante Pythagoram verò vix vllus videtur agnouisse formam, quam etiam negare videntur Richardus & Aureolus, dum aiunt, *Formam esse actuationem* duntaxat aliquam & terminum *materię*, sicut figura est terminus quantitatis; negantque illam esse realitatem aliquam à materia distinctam. Id quod etiam approbant plures nunc noui Philosophi, qui volunt solum hominem habere formam substantialem, in reliquis formam non esse aliud quàm certam conformationem corpusculorum, seu continuationem minimarum particularum elementarium, eamque esse totam rei formam; hoc enim primum est nouæ huius Philosophiæ fundamentum, quæ contempto Aristotele, sepultos in lucem reuocat Leucippum, Democritum, Epicurum; negatque ma-

Ateriam primam, qualitates omnes, formas omnes substantiales, earumque omnium loco solas ponit atomos quasdam variè figuratas, variè motas, variè combinatas. Ea tamen figmenta omnia falsitatis conuictis probatà formarum verè substantialium existentia; sic enim materiam primam probaueris sic mutationem substantialem, sic qualitates, & demum totam illam exarmaueris Democriticam Philosophiam veterem & nouam.

Ratio primò sit, quia corpora naturalia inter se differunt, secundum essentiam, & speciem substantialem: sed non possunt differre secundum materiam, quæ in omnibus eadem est: ergo differunt secundum formam: ergo datur forma, quæ aliquid est substantiale. Probatur maior. Illa diuersas habent essentias, quæ diuersas habent proprietates, quæ omni, soli, & semper conueniunt: sed leo & lapis, ignis & aqua proprietates habent diuersas: ergo habent essentias specificè diuersas. Probatur maior, quia omnis proprietas quarto modo fluit specificè ab essentia: ergo vbi sunt proprietates diuersæ, ibi sunt essentiae diuersæ. Forma ergo substantia est, quia id quo substantiæ differunt, substantia est; per istas autem formas substantiæ differunt: ergo formæ substantiæ sunt.

Secundò videmus res naturales reducere se quantum possunt ad statum pristinum: atqui principium talis reductionis non potest esse aliud præter formam substantialem: ergo dantur formæ substantiales. Maiorem probat experientia; si enim aqua calefiat, & amoueatur ignis, paulatim redit ad pristinum frigus: si lædatur animal, clauditur paulatim vulnus. Minor autem probatur, quia causa huius reductionis primò esse non potest complexio accidentium, quia illa læsa est, neque potest seipsam reducere ad priorem statum, nisi aliunde iuuetur. Non secundò est frigus, quod aliqui fingunt intensum semper manere in quibusdam partibus, à quibus reliquæ postea frigeant; constat enim, totam aquam in lebece feruentem, esse calidissimam. Non tertio est aer ambiens, quem suppono similiter calefactum esse ab igne. Imò aqua postquam se reduxit ad pristinum frigus, est frigidior aere. Non quarto ab occulta qualitate, quia illa vel est accidens proprium, vel commune; non est accidens commune, quia non potest conuenire multis: aut est accidens proprium, & sic emanat ab alio, quod non est accidens, sed substantia. Illud enim est vera substantia, quod est radix proprietatum.

Tertio constat non solum ex fide, sed etiam ex ratione naturali, quod anima rationalis in homine est vera forma corporis: ergo datur etiam in aliis forma substantialis. Probatur consequentia, quia si admitteretur in homine solo huiusmodi forma, reliqua omnia entia præter hominem essent incompleta; materia enim hominis est ens incompletum, alioqui faceret ens per accidens simul cum anima; & hæc materia est eiusdem rationis cum aliis materiis; patet enim, quod corpus hominis mutatur in vermes; reliqua omnia entia solum haberent materiam: ergo essent incompleta, vel certe homo esset ens per accidens; hoc autem nemo dixerit, quia illa non ordinantur ad compositionem vllius entis per se, quod est esse completum; neque vllum alium statum appetunt, sicut anima rationalis extra corpus. Verum argumenta illa omnia nihil mouent nouos Democriti, & Epicuri discipulos, qui solis, vt dixi, contenti atomis variè combinatis, negant omnem materiam primam, omnem formam substantialem, omnem etiam

etiam qualitatem; combinatio solarum atomorum, illis instat est omnium.

Sed contra illos efficaciter argumenta tria, quae proposui, vgeri possunt. Primum erat de differentia substantiali corporum, quae sine summa stultitia negari non potest; nam equus & musca, aqua & terra; ignis & lignum diuersas habent proprietates: ergo & substantias diuersas, à quibus solis manant proprietates: ergo materiam & formam; mutatur enim lignum in ignem: ergo destruitur aliquid substantiale, quod erat in ligno, alioqui lignum & ignis non differunt; illud est forma: & aliquid manet, alioqui ignis creatur, & lignum annihilatur; illud est materia: ergo datur materia & forma.

Secundum de reductione corporum ad qualitates nativas; si enim aqua calefacta redit ad nativum frigus, debet dari aliqua causa productiva huius frigoris; illa causa est id quod vocamus formam substantialem, siue sit figura, siue motus corpusculorum, quod nunc non moror.

Tertium etiam argumentum de homine qui formam habet, & est ens per se, constans ex partibus incompletis, videtur demonstrativum; nam in humano corpore prout distinguitur ab anima, reperiuntur corpuscula variè combinata, & figurata, sicut in equo, leone, lapide; & praeterea reperitur in homine forma constituens unum per se: ergo in omnibus aliis corporibus est forma constituens unum per se; alioqui, vt dixi, vel omnia corpora praeter hominem incompleta sunt, vel homo est unum per accidens, constans ex pluribus completis; non autem unum per se.

Respondent primò noui Democriti & Epicuri discipuli, nullam esse differentiam aliam inter corpora naturalia, praeter diuersam corpusculorum & atomorum combinationem, ex iis videlicet omnibus componi elementa omnia & mixta, quae cernimus; eorum enim totam, & adeò mirabilem varietatem ex sola combinatione atomorum oriri facile posse. Cur enim literarum duntaxat vigentitrium varia dispositio innumerabilem conficere potest vocum in omni genere ac linguarum diuersitatem; non poterit autem innumerabilem atomorum multiplex coordinatio causare tantam corporum elementarium, & mixtorum multitudinem, atque differentiam.

Sed nihil conficiunt Atomistae, neque vim declinant rationum propositarum. Primò enim sumo leonem, & plantam; ista duo corpora diuersas sine dubio habent proprietates, & operationes, aequè ac homo & leo: ergo illa diuersas habent substantias, à quibus emanant proprietates illae, quaecunque illae sint; substantiam enim vocamus id à quo manant proprietates: illa substantia non sunt sola elementa, quae omnino eadem sunt in omnibus mixtis; non combinatio corpusculorum, aut eorum motus, & figura, vt fatentur aduersarij: ergo illud principium substantiale necessariò est forma. Imò illud totum, quo substantialem differunt leo, & lapis, non est per te, nisi combinatio corpusculorum: ergo illa combinatio est forma substantialis; id nimirum, quo corpora essentialiter & substantialiter differunt.

Secundò, postquam aqua calefacta rediit ad nativum frigus, habet combinationem, & configurationem corpusculorum, quam non habebat quando erat calida: ergo debet dari principium aliquod nouae huius combinationis, & configurationis; imò & motus illius atomorum: illud principium nullum est excogitabile praeter formam substantialem: ergo illa necessariò admittenda est. Inuenitur

R. P. de Rhodes curs. Philosoph.

A autem etiam in corporibus mixtis illa restitutio temperamenti, praesertim in viuientibus, quae postquam alterata sunt, vel per alimentum, vel per morbum, vel per agens aliquod extrinsecum, reparant vires pristinas, & in priorem, vel etiam in meliorem redeunt statum: excogitent autem noui adoratores Epicuri, principium aliquod huius noui status.

Tertiò, non minùs differt substantialiter leo à planta vel à lapide, quàm ab homine: leo enim viuit, non autem lapis; leo sentit, non autem planta; sed leo & homo non differunt per solam combinationem & figuram atomorum, sed per formam substantialem: leo etiam non differt à planta & lapide per solas atomos variè ordinatas & figuratas. Imò vrgetur efficaciter argumentum, quia certum est ex fide, quod anima rationalis est forma corporis; atque adeò est sensitiua & vegetatiua: ergo non potest homo esse sensitiuus & vegetatiuus per solas atomos variè combinatas: ergo reliqua etiam viuientia non possunt esse sensitiua & vegetatiua per solas atomos; sicut enim in corpore leonis reperitur combinatio elementorum & corpusculorum, sic reperitur in corpore hominis: ergo si leo est viuens per hanc solam combinationem, poterit etiam homo esse sensitiuus, & vegetatiuus per illam sine forma substantiali. Hoc autem, vt dixi, fidei repugnat: ergo vanum est figmentum illud Epicureum. Contra quod dicendum iterum erit cum probabo mutationem substantialem, & reales qualitates, contra volitantes vndique atomos, quibus omnia implent noui somniatores. Tantùm addo, facilem ex hac vana Philosophia lapsum esse, ad negandam in homine animam rationalem, vere immortalem; si enim varia combinatio atomorum sufficere potest ad tantas, & adeò mirabiles operationes vitales brutorum, conuinci nullo modo posset, qui similiter assereret, sufficere illa omnia ad operationes vitales hominis, quarum omni-moda spiritualitas negari facile posset ab eo, qui pertinaciter contenderet, illas sicut obiectiue pendere à corpore, sic etiam pendere subiectiue, quod, vt patet, impium est, & haereticum.

Quartò denique sequeretur, vt notavi nuper, omnia mixta praeter hominem, esse vera entia per accidens, eo modo quo domus aut aceruus lapidum est ens per accidens; sicut enim domus constat lignis & lapidibus variè combinatis, sic leo constat eodem modo corpusculis variè combinatis.

Denique ludus est quod aiunt aduersarij de varia combinatione litterarum, ex quibus tanta existit varietas vocum; est enim multiplex discrimen. Nam primò nego, voces in quibus eadem litterae sunt vario modo coordinatae, differre substantialiter, sicut differunt corpora. Secundò in istis vocibus nullum datur principium intrinsecum, quod restituat illas in statum pristinum, si fuerint dissolutae litterae; in corporibus manifesta est haec mutatio, cuius principium sola esse potest forma substantialis.

E Respondet secundò. Alius quidam nouae Philosophiae inuentor, nullam aliam esse rerum corporearum materiam & formam, quàm extensionem omnimodè diuisibilem, figurabilem, & mobilem: illa enim tria esse principia ex quibus omnis ista existat corporearum rerum varietas, quantitatem variè diuisam, figuram, & motum. Ex quo plura comminiscitur absurda, & plurima etiam fidei contraria: mundum enim esse vult infinitum, quia spatium supra caelos est extensum infinitè: negat esse possibiles plures mundos materia & forma diuersos ab isto: negare tenetur creatam à Deo esse

K hanc

Quid respondere possint Atomistae.

Multipliciter impugnantur.

hanc quantitatem, quam appellat rerum omnium entitatem & substantiam: negat etiam diuinitus fieri vacuum, quia corpus nihil est nisi spatium: denique affirmat viuientia præter hominem non esse aliud, quam automata subtilibus rotulis, & corpusculis constantia, quæ agitentur & distendantur diuersimodè à diuersis obiectorum irradiationibus.

Sed contra figmenta illa pudet sanè disputare, nam præterquam quod erronea omninò sunt illa quæ retuli, adiungunt enim Deo potestatem creandi plures alios mundos, admittere cogitur aliquid increatum præter ipsum Deum; tenetur dicere quod in Eucharistia substantia panis & vini remanet, cum maneat eorum quantitas, & extensio. Primò nullo argumento probabili sententiam suam firmat, ut patebit legenti (quod est solenne omnibus istis nouorum dogmatum inuentoribus) quod valde notandum est. Secundò illis quatuor argumentis impugnatur quæ nuper attuli de differentia essentiali & specifica corporum, de proprietatum emanatione, & cæteris, quæ non repeto.

Obiicitur primò. Illud non est substantia, quod inhaeret subiecto, à quo dependet: sed formæ istæ materiales tam inhaerent subiecto à quo dependent, quam accidentia, cum existere nequeant sine subiecto; ergo illæ non sunt substantiæ.

Respondeo maiorem distingui posse dupliciter: primò ex suppositione quod forma materialis habeat propriam subsistentiam partialem distinctam à subsistentia materiæ, sic distinguitur. Illud non est substantia, quod inhaeret subiecto, si non habeat partialem subsistentiam, concedo; si habeat, nego: forma verò partialem habet subsistentiam, quantumvis inhaereat materiæ, idèd non est accidens. Secundò, etiam ex suppositione quod forma subsistentiam non habeat, sic maior illa distingui debet. Illud non est substantia, quod inhaeret subiecto completo, concedo; incompleto, nego. Illud dicitur inhaerere subiecto incompleto, quod est in alio tanquam pars in comparte, complens subiectum in ratione substantiæ; & hoc modo forma est in materia tanquam in comparte, quam complet. Illud est in subiecto completo, quod non est in alio tanquam pars in comparte, & sic accidentia omnia sunt in subiecto.

Dices accidentia omnia esse in subiecto incompleto, quia ex probabiliori sententia non sunt in toto composito, sed in sola materia.

Respondeo, accidentia non esse in materia tanquam compartes in compartibus, quæ per illas complentur; formam verò esse in materia ut partem in comparte, ita ut illam compleat; idèd est in subiecto incompleto, non autem accidentia.

Obiicitur secundò. Non probatur, dari formas substantiales, si non probatur corpora naturalia differre inter se substantialiter: sed non probatur illa differre inter se substantialiter, quia eorum distinctio non nobis innotescit nisi per accidentia: ergo non probatur dari formas substantiales.

Resp. negando minorem; rectè enim probatur, quod corpora naturalia inter se differunt substantialiter; hæc autem distinctio non innotescit per accidentia communia, sed per accidentia propria, quia cum proprietates fluant ab essentia, diuersitas proprietatum indicat diuersitatem essentialium.

Obiicitur tertio, posse facillè tribui temperamento, idèd harmoniæ debitæ qualitatum, omnia illa quæ tribui solent formæ: ergo non est necesse dari formas.

Resp. harmoniam illam debitam qualitatum

A esse necessariò debitam respectu alicuius substantiæ, à qua illa emanare debeat: non sufficit ergo distinctio temperamenti, nisi addit forma.

Obiicitur quartò. Forma non producitur ex materia, si materia non est aliquid formæ: sed materia non est aliquid formæ, alioqui esset pars formæ: ergo non producitur ex materia. Deinde materia, non est causa extrinseca formæ, ut patet, neque causa intrinseca; non enim est eius pars. Denique forma dici non potest generari eo modo, quo compositum generatur; sit enim ex materia, quæ aliquid eius est, non autem forma.

Respondeo, materiam non esse aliquid formæ, sed esse illius subiectum; esse causam eius intrinsecam, quia est compars cum forma, non eius pars: forma etiam propriè generatur ut pars totius compositi, non autem ut totum compositum.

S. II.

Quid sit forma substantialis.

Existunt ergo in rerum natura formæ substantiales, quarum nunc essentia inquiritur, idèd earum definitio, & prædicata essentialia.

Dico secundò, formam substantialem rectè definiri ab Aristotele, quod quid erat esse rei, quasi dicat formam esse substantiam incompletam, quæ actuatur materiam, & constituit compositum. Quod ut explicem,

Obserua primò, formam à Philosopho appellari nomine celeberrimo, *ἐντελέχεια*, quod explicatur variè à Doctoribus. Primò enim Tullius *prima Tusculana*, vult significari ea voce *ἐντελέχεια*, perennem & continuam agitationem & motionem; quod sanè repugnat Philosopho, qui *τελευτή* ait *ἐντελέχεια* non esse ut contemplationem & vigiliam, idèd operationem; sed velut scientiam & somnum, idèd, tanquam aliquid operatione prius. Idem reperitur *textu 18. & textu 24.* ubi ait *ἐντελέχεια* in nobis esse principium quo viuimus, mouemur, & intelligimus. Igitur ex mente Philosophi *ἐντελέχεια* est principium motuum & operationum; propria enim vocis huius significatio est perfectio intus habita, *τῶν αὐτῶν ἐν τῷ εἶναι ἐχούσης*; quia est perfectio materiæ quam actuatur, & compositi quod constituit. Vide Plutarchum *lib. 1. de placitis Philosophorum, cap. 2.* Scaligerum *exercitatione 307. cap. 39.*

Obserua secundò, definitionis allatæ sensum esse, ut quemadmodum in composito metaphysico differentia duplex habet munus, determinat enim genus, cuius indifferentiam contrahit, & speciem constituit; ita forma in composito physico materiam primam de se indifferentem ad omnia corpora determinat ad talem speciem corporum, v. g. ut sit homo potius quam brutum; deinde constituit corpus afficiendo illud tale, ac distinguendo ab omni alio; illud enim, quo constitueris homo, est anima rationalis, cuius loco si animam haberes leonis, esses leo.

Obserua tertio, essentialia formæ prædicata esse primò, quod sit *substantia incompleta*, in quo conuenit cum materia, & distinguitur à composito: secundò, quod sit *actus cum materia, cum compositi*; quæ differentia eius est à materiæ; nam sicut materiæ proprium est esse potentiam, ita esse actum propria est ratio formæ constitutiua, ac proinde forma est relatio transcendentalis ad materiam & compositum, non quòd illa sit duplex relatio, sed vnica, quæ respicere potest plures terminos

Assertio.

Explicatio definitionis.

Essentialia prædicata formæ.

Quaest. I. Sect. IV. de Forma substant. III

minos subordinatos, quales sunt materia & compositum: forma enim immediate respicit materiam, mediate vero compositum.

Prima obiectio.

Obiicitur primò, illud est accidens quod potest adesse & abesse à subiecto sine subiecti corruptione; forma potest abesse à materia sine illius corruptione: ergo forma est accidens.

Resp. distinguendo maiorem. Illud est accidens, quod potest adesse & abesse à subiecto, quod sit totum substantiale, concedo; quod potest adesse vel abesse à subiecto incompleto, scilicet à materia, nego: dicitur enim accidens respectu totius substantialis, non respectu materiae.

Secunda obiectio.

Obiicitur secundò, formam esse saltem accidens materiae, quia materia est indifferens ut hanc, vel aliam formam habeat.

Resp. negando formam esse accidens materiae, quia illam actuat, & cum ea facit totum substantiale.

Tertia obiectio.

Obiicitur tertio, formam esse totam essentiam corporis; nam homines, qui modo viuunt, resurgunt omnino iidem, vt docet fides; sed non resurgunt cum eadem materia, nam illa fuit in pluribus hominibus successiue, vt constat praesertim in anthropophagis: ergo materia est tota essentia hominis.

Resp. Deum in resurrectione sic res ordinatum, vt quilibet resurgat cum maxima parte materiae, quam habuit; non esse autem necesse vt resurgat cum tota, nisi forte materiam eandem Deus sepius reproduceret, quod non est probabile: supplebit ergo ex alia materia partes quae deerunt, & hoc sufficit vt idem homo moraliter dicatur resurgere, sicut dicitur idem esse homo senex, qui fuit iuuenis, quamuis parum habeat materiae, quam puer habuit.

S. III.

Quotuplex sit forma substantialis.

Dixi vniuersum, quid sit forma substantialis, nunc diuisio eius in *materialem* & *immaterialem* nota est; solum ergo discrimen vnius ab altera breuiter explicari potest.

Conclusio.

Dico tertio, formam substantialem materialem in eo differre à forma immateriali, quod forma materialis pendeat à materia, tum in fieri, tum in conservari, aded vt naturaliter esse nequeat sine materia; forma vero immaterialis neque in fieri, neque in conservari pendeat à materia, sed possit existere sine illa. Vel certe differunt, quod forma materialis producat per veram educationem; immaterialis vero per creationem. Quod utrumque discrimen vt explicem,

Quadruplex dependetia formae à materia.

Obserua primò, formam materialem pendere à materia quadrupliciter: primò enim ab ea pender in suo fieri, quia produci non potest nisi copulata materiae sustentanti; secundò pender ab ea in conservari, quia ne momento quidem vno potest existere sine illa: tertio pender in operari, quia omnis eius operatio, tum obiectiue, tum subiectiue immersa est materiae: quartò pender etiam quidditatiue, aded vt neque definiri possit, neque concipi sine illa; forma vero immaterialis produci potest, & conservari extra materiam; potest sine illa operari, & sine illa vt subiecto sustentante definiri.

Inchoatio- nes formae in materia.

Obserua secundò, formam quamlibet ita produci, vt nulla eius inchoatio praexistat in materia. Existimant videlicet nonnulli è veteribus Philosophis, & nunc inter recentiores aliquos etiam

R. P. de Rhodis curf. Philosoph.

Auditur, praexistere in materia *inchoationes quasdam formarum*, quas educi ex ipsis cernimus, & eas cum Richardo appellant *possibilitates formarum*, vel cum Raconis, rationes quasdam seminales & potentiales formarum. Quae manifesta deceptio est, quia sic deberent in materia tot admitti entitates diuersae in ea praesistentes, quot possunt ex ea educi formae; possunt autem educi formae infinitae: ergo praexistere in materia entitates infinitae realiter differentes, quia implicat vt eadem entitas sit inchoatio formarum essentialiter distinctarum.

Eductio & creatio.

Obserua tertio, duobus modis formam produci posse, primò *per educationem*, secundò *per creationem*. Creatio est productio rei ex nihilo, idest ex non subiecto; ita videlicet, vt nullum subiectum

B

sustentet actionem, qua fit aliquid, eo quod actio illa existere possit seorsim à subiecto. Eductio est productio alicuius rei dependenter à subiecto, idest actio, qua aliquid fit concurrente subiecto, & sustentante actionem, qua fit aliquid, eo quod existere actio illa nequeat sine tali subiecto: educi enim de potentia materiae, est formam produci concurrente passiuè subiecto, & sustentante actionem, quae fit. Differunt itaque creatio & eductio, quod creatio praeter terminum cuius est fieri, nullum habeat subiectum, in quo sustentetur; eductio vero praeter terminum, cuius est fieri, habeat etiam subiectum, in quo sustentetur & sine quo possit existere.

C

Obiicitur primò. Ideò forma materialis dicitur educi de potentia materiae, quia vnitur materiae: sed anima rationalis, dum fit, vnitur materiae: ergo anima etiam rationalis educitur ex materia.

Prima obiectio.

Resp. negando maiorem; ideo enim forma materialis educitur, non quia dum fit, vnitur subiecto, sed quia actio qua fit sustentatur à subiecto, sine quo non potest actio illa existere. Non sufficit ergo formam vniri subiecto, vt dicatur educi; sed ita debet vniri, vt non possit existere separata.

Obiicitur secundò. Illud non potest educi de subiecto, quod non praexistit in subiecto: sed forma non praexistit in materia: ergo non educuntur ex materia: gladius v. g. quomodo educetur de vagina, nisi prius in ea fuerit.

Secunda obiectio.

D

Respondeo falsam esse maiorem, quia forma non educitur ex materia, sicut gladius educitur ex vagina; educi enim ex subiecto, est produci concurrente subiecto; ideo quod educitur de materia, non debet in ipsa praexistere.

Obiicitur tertio. Forma caeli fuit facta per creationem: ergo non omnis forma materialis fit per educationem. Probatur antecedens, quia caelum totum actione vnica factum fuit à Deo: illa esse non potuit eductio, quia materia non esteducta; imò dicitur *Genes. 1.* quod Deus creauit caelum & terram: ergo forma caeli facta fuit per creationem.

Tertia obiectio.

Respondeo formam caeli factam esse per veram educationem, non per creationem; eodem enim instanti productum est totum caelum per duplicem actionem partialem, quarum vna erat productio & creatio materiae, altera productio formae, & eductio. Negandum igitur est, quod totum caelum fuerit factum actione vnica indiuisibili, quia implicat, vt duo entia realiter distincta (quales sunt materia & forma) fiant per vnica actionem; vna enim entitas modalis non potest afficere plura realiter distincta.

Obiicitur quartò. Illud fit ex nihilo, quod antequam fieret, erat nihil, & postea est aliquid: forma materialis antequam fieret, erat nihil: ergo fit ex nihilo.

Resp. omne quod fit, fieri ex nihilo *sui*, alioqui non fieret; sed solam formam immaterialem fieri ex nihilo.

Quarta obiectio.

K 2

nihilum

nihilo *subiecti*, quia scilicet actio per quam fit, in-
dependens est à materia, cum possit existere sine
illa: est autem mirum novos Aristotelis aduersarios
eo vti argumento ad negandas formas substantia-
les; quæro enim ab illis, vtrum ille motus atomor-
um, quarum concursu & combinatione volunt
omnia fieri; vtrum (inquam) ille motus sit aliquid
factum de nouo: si enim non sit, est purum nihil;
si sit cum antea esset nihil, certè sit ex nihilo, sicut
formæ fiunt ex nihilo.

§. IV.

Quanam sint proprietates formæ substantialis.

Supposita essentia formæ, quam hæcenus expo-
sui, proprietates formæ quatuor sunt: *Appeti-
tus materia, appetitus dispositionum, vniuersalis materia
informatio, impossibilitas plurium formarum in ea-
dem materia*; quæ omnes breuiter expediti possunt.

Appetitus
materia.

Certum igitur primò est, quamlibet formam
substantialem, etiam immaterialem, naturaliter ap-
petere materiam appetitu *complementaria*, si ei sit vni-
ta; appetitu *concupiscentia*, si ei non sit vnita, quia
cum forma sit ens incompletum, exigit semper
complementum materiae; vnde sequitur, statum se-
parationis animæ à corpore, violentum illi esse
secundum quid, vt dicitur alibi.

Exigentia
dispositio-
num.

Certum est secundò, nullam formam posse vniri
materiae, nisi præexistant in ipsa certæ dispositiones,
quarum vltima posita, necessariò in eodem instanti
existit forma; nam quamuis reliquæ dispositiones
ferè antecedant formam, etiam tempore, non po-
test tamen naturaliter poni vltima dispositio, quin
eodem instanti temporis ponatur forma, alioqui es-
set illa vltima dispositio, & non esset. Hoc autem
totum docet experientia, videmus enim ignem v.g.
non in qualibet materia produci, sed exsiccari prius
eam debere, ac calefieri; quod etiam constat præser-
tim in animabus, quæ certa exigunt organa, varia-
que præparationes sine quibus non introducuntur.

Informatio
vniuersa-
lis mate-
ria.

Certum est tertio, posse quidem diuinitus eandem
formam plures informare materias, etiam separatas;
non posse naturaliter, quia non potest eadem forma
pendere à pluribus causis totalibus, neque in plu-
ribus esse locis adequatis; quod tamen continge-
ret, si eadem forma plures informaret materias. Fa-
ctor autem, quod si diuinitus hoc fieret, tunc illa
essent plura composita solum secundum quid, quia
vt concretum aliquod multiplicetur, debet multi-
plicari tum forma, tum subiectum. His positis.

Assertio.

Circa quartam proprietatem formæ substantia-
lis, quam dixi esse impossibilitatem plurium
formarum in eadem materia, maior difficultas est;
primò, vtrum naturaliter, aut saltem diuinitus pos-
sint simul esse plures illæ formæ: secundò, quid sit
naturalis illa impossibilitas formarum: tertio,
per quid tolleretur naturalis illa impossibilitas.

Impossi-
bilis natu-
ralis.

Dico quartò, plures formas substantiales natu-
raliter esse non posse in eadem materia, posse au-
tem diuinitus.

Ratio, cur naturaliter esse non possint simul,
est quia materia sufficienter determinatur per vni-
cam formam, & completur: ergo non potest natu-
raliter vltius compleri; quod enim aduenit ma-
terialiter enti completo, est accidens.

Composi-
bilis su-
pernatu-
ralis.

Ratio, cur possint huiusmodi formæ diuinitus
esse simul, probatur, quia id non inuoluit contra-
dictionem; si enim diuinitus possunt calor & fri-
gus in summo esse simul in eodem subiecto, quare
non poterunt esse simul diuinitus plures formæ.

A Obiicitur primò, implicare vt aliquid etiam di-
uinitus sit in multiplici specie, alioqui non impli-
caret chimæra ex diuersis composita essentis: istud
corpus vbi plures essent formæ, in multiplici esset
specie: ergo implicat plures formas esse in eadem
materia.

Prima ob-
iectio.

Resp. implicare quidem vt aliquid vnum sit in
multiplici specie, sed non implicare vt aliquid ina-
dequatè multiplex sit in multiplici specie; compositum
enim conflatum ex vna materia & formis plu-
ribus, esset inadæquatè tantum plura composita.

Neque dicas, quoties duæ formæ sunt specie di-
stinctæ, composita sunt simpliciter specie distinctæ
ergo si formæ sint numero distinctæ, composita
erunt numero distinctæ. Nego enim consequen-
tiam, quia vnitas specifica petitur præsertim à for-
ma, quæ determinat & constituit: vnitas verò nu-
merica petitur tum à materia, tum à forma.

Obiicitur secundò. Non potest vnum genus
contrahi per plures differentias vltimas non sub-
ordinatas: ergo neque vna materia contrahi potest
per plures formas.

Secunda.

Resp. esse disparitatem inter formam physicam,
& formam metaphysicam, quæ differentia dicitur,
quia materia & forma distinguuntur realiter; ge-
nus autem & differentia vnum sunt realiter, idèd
si genus contraheretur per plures differentias non
subordinatas, esset in multiplici specie non solum
ex Dei voluntate, sed etiam naturaliter; quod non
sequitur si materia plures habeat formas, quæ
cum distinguantur à materia, liberum est Deo po-
nere illas, vel non ponere.

Obiicitur tertio. Quod aduenit enti completo, Tertia
est accidens: ista forma posterior adueniret enti
iam completo: ergo esset accidens.

Resp. formam in eo casu non aduenire enti iam
completo, quia non adueniret toti composito
ex materia & forma, sed adueniret soli materiae
cum qua faceret vnum per se.

Obiicitur quartò, & difficillimè. Posita causâ Quarta.
formali ponitur necessariò effectus formalis: sed
forma, per quam vna forma expelleret aliam for-
mam, non est aliud quam ipsa entitas formæ: er-
go posita ea entitate formæ in subiecto necesse
est omnino est expelli aliam formam, ita vt ne diuini-
tus quidem esse possint simul.

Hæc difficultas vt dissoluatur exponenda est
paulò latius. Idèd sit

§. V.

*Quid sit impossibilitas duarum formarum
in eodem subiecto.*

Questio est, vtrum in compossibilitas illa dua-
rum formarum nihil superaddat entitati vtri-
usque formæ, an verò superaddat aliquid; si enim
nihil superaddit, certè implicat vt formæ non sint
impossibiles; si superaddit aliquid, videndum
est quid illud sit, vix enim explicari potest.

Dico quintò. Impossibilitas formæ cum al-
tera forma in eadem materia non est aliquid distin-
ctum ab ipsa entitate formæ, sed est ipsa entitas
formæ prout connotat materiam, in qua esse non
potest simul, secluso speciali Dei decreto, & actio-
ne procedente à potentia prout maiore in actu pri-
mo. Compossibilitas autem duarum formarum in
eadem materia, est ipsa entitas formæ prout con-
notat speciale Dei decretum, & actionem quare-
nus procedentem à potentia prout maiore in actu
primo.

Conclusio.

Primò

Incompossibilitas non distinguitur realiter.

Connotat duo.

Primò dixi, non esse aliquid distinctum realiter, quia forma excludit aliam formam ab eodem subiecto, seclusis aliis omnibus; seclusis enim aliis omnibus per suam entitatem adaequatè complet appetitum subiecti, & facit corpus. Deinde seclusa illa entitate superaddita, forma est adhuc impossibilis cum altera forma, quia seclusa illa entitate facit vnum per se cum materia, quod ordinari ulterius non potest: ergo non est necessaria entitas superaddita ut forma sit impossibilis.

Secundò dixi, hanc impossibilitatem connotare speciale Dei decretum, & actionem productiuam formae in materia: quod ut explicem, obferua haec duo debere necessariò distingui, quando forma producit in materia, forma ligni v. g. in materia ligni: primum est virtus quam habet agens ad producendam illam formam: secundum est actio illa, per quam producit formam. Dico ergo quod ut forma ligni producat in materia in qua est etiam forma ignis, non sufficit eadem virtus agentis in actu primo, quia sufficiebat ad producendam formam ligni absente igne; sicut ut manuteneam pomum quod mihi alter vult eripere; sufficit quidem eadem compressio manus, qua illud seruabam nemine trahente, sed non sufficit eadem virtus in manu, quae ante sufficiebat.

Itaque ut forma dicatur impossibilis cum altera forma, requiritur speciale Dei decretum; sed illud non potest sufficere, quia cum sit omnino immanens in Deo, nihil noui potest ponere extra Deum. Requiritur ergo ut omnipotentia ponat duas formas simul in materia; ad hoc autem ut illas ponat, sufficit actio quae poneret singulas separatim; si enim actio illa prius ponebat formam in subiecto, absente alia forma, certe illam etiam ponet praesente alia forma, modò tamen actio illa poni possit quae ponebatur prius; non potest autem poni talis actio nisi procedat à potentia maiore in actu primo, quae videlicet possit illam producere etiam tunc quando altera forma resistit. Sed ut hoc magis intelligatur.

Prima obiectio.

Obiicitur primò. Illa distinguuntur realiter, quae possunt separari: sed haec impossibilitas formae cum altera forma potest separari à forma: ergo illa impossibilitas est aliquid distinctum ab ipsa forma.

Resp. negando minorem, quia quando duae formae diuinitus essent in eadem materia, semper haberent impossibilitatem secundum id totum, quod illa impossibilitas dicit in recto, & entitatiue, non secundum quod dicit connotatiue: duo enim includit illa impossibilitas, in recto entitatem formae, in obliquo connotationem decreti Dei ordinarij, & omnipotentia agentis iuxta exigentiam naturalem subiecti. Quando duae formae ponuntur in subiecto, conseruant semper totam entitatem impossibilitatis, sed non seruant illam connotationem.

Secunda obiectio.

Obiicitur secundò. Ante imperium illud speciale Dei, materia capax non erat intrinsece illius duplicis actionis, quia producantur amba formae in materia: ergo ut fiat capax illarum actionum, debet recipere aliquid intrinsecum distinctum ab illis actionibus impossibilibus.

Resp. distinguendo antecedens: ante illud imperium materia non erat capax illius duplicis actionis, secundum quod capacitas illa dicit in recto, & entitatiue, nego; secundum quod dicit in obliquo, & connotatiue, concedo. Ut igitur fiat capax, sufficit ut accedat de nouo connotatio tum imperij diuini, tum omnipotentiae producen-

R. P. de Rhodes curs. Philosoph.

tis illas actiones supra exigentiam materiae, atque adeò fortioris in actu primo.

Obiicitur tertio, ut omnipotentia operetur supernaturaliter, cum antea operaretur solum naturaliter, requiritur nouus aliquis influxus omnipotentiae; quandiu enim sola est virtus in actu primo, nihil ponitur nouum in rebus: sed quando duae formae ponuntur in materia, omnipotentia operatur supernaturaliter: ergo requiritur nouus aliquis influxus omnipotentiae, idest, actio aliqua noua.

Resp. distinguendo maiorem; ut omnipotentia operetur supernaturaliter secundum substantiam, cum antea operaretur solum naturaliter, requiritur aliquis nouus influxus connotatiue, concedo; ut omnipotentia operetur supernaturaliter secundum modum, requiritur nouus influxus entitatiue, nego; sufficit enim influxus nouus connotatiue, quia supernaturale secundum substantiam est illud quod est supernaturale secundum entitatem; supernaturale secundum modum est illud, quod secundum solum connotationem est supernaturale.

SECTIO V.

De vnione substantiali materiae & formae.

UT ex materia & forma tanquam ex principiis compositum physicum resulet, necesse est, ut illae inuicem nexu aliquo copulentur; quae dicitur vnio, nunc breuiter explicanda; primò enim quaeritur, vtrum illa sit; secundò, quid illa sit; tertio, quotuplex sit.

§. I.

Existentia unionis distincta.

NON hic quaeritur simpliciter, vtrum in composito physico detur vnio materiae ac formae; cum enim ex illis fiat compositum, quod est totum vnitum, non potest non dari vnio inter illas: sed controvertitur, vtrum vnio, quae intercedit inter materiam, & formam, sit aliquid realiter diuersum à materia & forma, quae vniuntur; an verò nihil sit ab illis distinctum realiter & entitatiue.

Dico primò, in composito physico dari vnionem distinctam realiter & entitatiue à materia & forma. Ita docent è veteribus Theologis Scotus, Ochannus, Durandus; è recentioribus, vix vllus est qui repugnet, praeter Valentiam, & paucos Thomistas, contra quos

Ratio primò sit; quia illa distinguuntur realiter, quae possunt separari: materia & forma possunt separari ab vnione; nam corpus & anima hominis mortui existunt realiter destructa vnione, quam habebant prius: ergo vnio ab illis distinguitur.

Prima ratio.

Responderi primò potest, vnionem non posse separari à materia & forma simul sumptis, sed sio. posse separari ab illis sumptis seorsim.

Sed contra manifestè inсто; vel enim per materiam & formam simul sumptas intelliguntur materia & forma existentes eodem tempore; & hoc falsum est, quia materia & anima hominis mortui simul existunt sine vnione; vel intelliguntur materia & forma vnita; & de hoc est argumentum; nam contendo materiam & formam vnitas non esse solum entitatem materiae & formae, quia illas esse vnitas, est aliquid separabile ab earum entitate. Idemque argumentum illos conuincit, qui dicunt vnionem non esse aliquid separabile à forma.

R. 3

propt.

provt in materia, quamvis possit separari à forma præcisè sumpta: nam illa forma, provt in materia, est aliquid separabile à materia & forma, cum forma sit extra materiam: ergo est aliquid ab ea distinctum; quod vnum volo.

Secunda
eualio.

Responderi secundò potest, vnionem secundum id quod dicit in recto, non posse separari à materia & forma, sed posse separari secundum id quod dicit in obliquo, & secundum connotationem; sicut dici solet de relatione, vocatione, duratione, & nuper dictum est de impossibilitate formarum.

Sed contrà: nam quod vnio non possit esse solum connotatio, sic euinco. Vel enim esset connotatio nouæ præsentiae localis, vel esset connotatio dispositionum: neutrum esse potest verum; nam anima esse potest præsens corpori, possunt adesse omnes dispositiones, & tamen anima non vnietur materiae, neque illam informabit: v. g. Christi anima existens in vtero Matris sanctissimæ, penetrabatur cum eius materia, in qua erant omnes dispositiones; & tamen illam non informabat. Deinde possunt per penetrationem homines duo esse simul in eodem loco; & tamen anima vnus non informabit corpus alterius: ergo vnio non potest esse connotatio præsentiae localis, & dispositionum: nihil autem aliud excogitari potest, cuius sit connotatio; si enim dixeris, illam esse connotationem actionis productiue compositi, sequitur saltem dari actionem aliquam distinctam, qua vniantur materia & forma, & hanc etiam non sufficere, conuincetur ex sequentibus. Denique vt sit noua connotatio debet dari aliquid noui fundans illam connotationem; si vnio non est distincta, nihil datur noui: ergo vnio est distincta.

Secunda
probat.

Secunda ratio fit, quia non possunt duo extrema realia, quæ antea non referebantur inter se, de nouo referri, nisi facta fuerit mutatio aliqua noua in aliquo: sed quando fit homo, materia & forma, quæ prius non referebantur, incipiunt de nouo referri: ergo necesse est vt fiat in aliquo mutatio: sed nulla est facta mutatio nisi per productionem vnionis: ergo debet vnio produci. Probatur maior, quia enunciationes contradictoriae non possunt etiam successiue verificari de eodem, nisi facta sit aliqua mutatio in aliquo: sed referri, & non referri sunt enunciationes contradictoriae: ergo illæ non possunt verificari de materia & forma, nisi facta sit in illis mutatio, aut extra illas. Maior probatur euidenter. Vt aliquid affirmetur verè de aliquo, quod prius non affirmabatur, imò etiam verè negabatur, debet esse aliqua ratio noua huius affirmationis, quæ non erat antè; si enim nulla sit noua ratio, non magis verè affirmabitur quàm ante: v. g. paries, qui verè negabatur esse albus, nunquam affirmabitur esse albus, nisi fiat aliquid nouum in eo: ergo non possunt successiue verificari duo contradictoria de eodem, nisi fiat aliqua mutatio in aliquo. Confirmatur, quia implicat esse denominationem formalem veram sine denominatione obiectiua; nam ab eo quod res est vel non est, vera est propositio: ergo vbi est noua denominatio formalis, ibi oportet esse nouam denominationem obiectiua, seu formam nouam.

Prima
eualio.

Responderi primò potest, duo contradictoria verificari de materia & forma, quia fit mutatio in tempore, & quia connotant diuinam voluntatem, quæ ab æterno decreuit vt materia & forma in hoc tempore faciant vnum.

Sed contrà: nam possent esse idem tempus, eadem materia & forma; & tamen non esse vnio:

A ergo vt contradictoria verificentur de materia & forma, non sufficit mutatio facta in tempore. Imò eodem iure dici posset, quod paries ex non albo fieri posset albus per solam mutationem temporis, & quia Deus ita decreuit.

Responderi secundò potest, factam esse mutationem in eo, quod factum est compositum, quod antea non erat.

Secunda
eualio.

Sed contrà; materia enim & forma quæ prius non faciebant compositum, non possunt facere compositum, nisi habeant aliquid nouum, quod non habebant ante; alioqui duo contradictoria verificarentur de eodem sine vlla mutatione: ergo antequam faciant compositum, recipiunt aliquid nouum: quod magis illustrabit etiam sequens probatio.

B

Tertia enim ratio est. Omnis generatio realis est fieri alicuius termini realis, qui antea non erat: sed generatio hominis non producit materiam & formam: ergo est fieri alicuius termini realis, qui distinguitur à materia & forma, qui terminus necessariò est vnio.

Tertia
probat.

Responderi solet, generatione produci compositum, non secundum vllas suas partes, sed vt est totum compositum.

Sed contrà. Non potest generatio producere compositum in ratione compositi, si neque totum producat, neque partes: sed generatio neque producit totum, neque partes: ergo non producit compositum in ratione compositi. Probatur minor, quia quod producit aliquod totum, necessariò producit illius partes; totum enim includit partes, partes autem compositi non producit, cum illæ fiant per creationem: ergo non producit totum compositum. Deinde implicat vt anima & corpus faciant compositum, nisi aliter se habeant, quàm antea se haberent: sed non aliter se habebunt nisi producatur vnio: ergo non possunt facere compositum nisi producatur vnio. Probatur minor. Non aliter se habent, nisi aliquid in illis fiat: sed in illis nihil fit præter vnionem: ergo vt aliter se habebant, debent habere vnionem productam de nouo. Denique materia & forma idè faciunt compositum, quia se aliter habent quàm ante: ergo non idè tantum se aliter habent, quia faciunt compositum.

D

Poterat addi quarta ratio ex mysterio Incarnationis, in quo videtur conuincere necessitas vnionis distinctæ. Sed de hoc dixi fuis tertiam partem, vbi probabam, dari vnionem aliquam realem humanitatis cum Verbo, quæ realiter neque sit humanitas, neque Verbum.

Obiicitur primò. Illa vniantur immediatè, quorum vnum est actus, & alterum est potentia: sed materia est potentia, forma verò est actus: ergo materia & forma vniantur immediatè; nam illa quæ non vniantur immediatè, non faciunt vnum per se.

Prima
ob-
iectio.

Resp. materiam & formam vniri reuerà immediatè, quamvis vniantur media vnione distincta; quia vnio media est inter illas tanquam ratio formalis vnendi, sicut effectus pendet immediatè ab agente, quamvis pendeat mediante actione, quæ est ratio formalis dependendi, sicut formalis dependentia: oculus videt cælum immediatè, tametsi videat illud mediante visione; illa ergo non vniantur immediatè, quæ vniantur mediante aliquo tertio, quod non est ratio vnendi; quæ verò vniantur mediante aliquo tertio, quod est ratio vnendi, vniantur immediatè, quia illa ratio formalis est vnio immediata.

Obiicitur secundò. Si necessaria esset vnio distincta, obiectio.

Secunda
ob-
iectio.

fincta, vt materia & forma vnirentur inter se mutuo, deberet etiam vnio vniri per alteram vnionem; & sic daretur processus in infinitum. Probat, quia materia & forma tam bene possunt vniri se ipsis, quam vnio.

Resp. materiam, & formam non posse se ipsis vniri; vnionem autem se ipsa vniri, quia vnio nunquam potest existere, quin materia, & forma vniantur; materia verò & forma possunt existere, quamuis non vniantur; vnde non per se vniantur, sed per aliquid distinctum. Deinde vnio est essentialiter actualis vnio, ideòque se ipsa vnitur cum extremis; quod enim est essentialiter tale, se ipso est tale. Quemadmodum actio non fit per aliam actionem, quia cum sit essentialiter dependentia, non dependet per aliquid aliud.

Tertia obiectio.

Obiicitur tertio, nullam esse rationem, cur relatio, vbicatio, & duratio explicari possint per solam connotationem sine modo reali superaddito; vnio autem non possit explicari per solam connotationem.

Resp. esse disparitatem, quia si vnio esset solum connotatio, daretur actio quæ nihil produceret: deinde contradictoria de materia & forma essent successiue vera sine vlla mutatione; quæ duo non sequuntur si relatio, vbicatio, & duratio sint solum connotationes, vt suis locis ostensum est.

Quarta obiectio.

Obiicitur quarto. Si vnio est aliquid superadditum materiae & formæ, certè necesse est vt sit æquè distincta realiter ab illis ac lumen, quod est solida entitas distincta realiter ab aëre, ac impetus impressus lapidi, qui distinguitur ab eo realiter; vnde enim habes, quod lumen possit existere sine aëre, vnio autem non possit existere sine extremis? Quod idem dici potest de aliis omnibus modis.

Resp. in eo differre illas entitates, quæ dicuntur modi, ab aliis, quæ sunt distinctæ realiter à subiectis quæ afficiunt, quod modus sit essentialiter actualis determinatio ipsius modificati ad exercitium aliquod, atque adeò in suo conceptu formali & essentiali necessariò afficiat actu modificatum; quod facillè probari potest per inductionem omnium illorum, quæ dicuntur esse modi; vnio enim in suo conceptu dicit actuale nexum duorum. Idem dico de motu, de actione, figura, & aliis: hoc autem in nullo inuenies accidente realiter distincto; lumen enim in suo conceptu non dicit exercitium actuale ipsius subiecti in quo est. Idem dico de speciebus impressis, de impetu, de forma materiali; vnde ista omnia separata existere possunt à subiectis; modi autem existere non possunt separati.

S. II.

Quidditas vnionis inter materiam & formam.

Modus substantialis.

Posito quòd inter materiam & formam detur vnio distincta entitatiue ab extremis vnitis, & quod existere nequeat sine illis, sequitur illam esse modum quendam substantialem, hic est enim proprius character entitatis modalis, vt constat ex Metaphysica. Dixi autem esse modum substantialem, quia pertinet ad intrinsecam & essentialem rationem compositi subsistentis.

Difficultas ergo tantum est, vtrum modus iste substantialis, quem dixi esse vnionem, sit ipsamet actio, quæ dicitur generatio, & in compositis purè materialibus appellatureductio, siue productio formæ dependentes à materia, id est in materia.

A Dico secundò, vnionem materiae & formæ esse modum substantialem distinctum ab ipsa generatione, non solum in composito humano, sed etiam in compositis purè materialibus, in quibuseductio, & vnio distinguuntur. Ita docent ferè omnes qui ponunt vnionem distinctam ab extremis, sed quibusdam recentioribus visum est, vnionem illam non esse aliud, quam productionem formæ in compositis, vbi forma producit per ipsam generationem: contra quos antequam probetur assertio quam proposui,

Conclusio.

B Obserua primò, formam non posse vnquam vniri materiae, quin vnatur tum efficienter, tum formaliter; quæ duo licet semper coniuncta sint, diuersa tamen sunt. Per illud vnitur forma efficienter, quod est vel principium, vel fieri vnionis: per illud vnitur formaliter, quod est ipsa vnio etiam in facto esse. Assertit itaque conclusio, eductionem esse quidem id quo materia & forma vniantur efficienter, quia est fieri vnionis; sed negat illam esse id quo vniantur formaliter, quia non est vnio ipsa in facto esse; quæ tamen duo inseparabilia sunt, quia forma nunquam vnitur efficienter, quin effectio illa terminum suum habeat, qui est vnio formalis in facto esse; neque vnquam erit vnio formalis in facto esse, quin habeat aliquod fieri: ex quo sequitur, formam non posse vnquam educi, quin vnatur materiae, atque adeò eductionem esse semper vnionem effectiuam, non autem vnionem formalem.

Vniri efficienter, & vniri formaliter.

C Obserua secundò, valde diuersa esse inter se duo ista, formam vniri materiae, & formam pendere à materia; nam anima rationalis vnitur materiae, à qua tamen non dependet: vniri ergo est formam efficere vnum per se cum materia vt comparte; pendere autem est fieri per actionem, quæ non possit existere sine materia; imò, materia non minùs vnitur formæ, quam forma vnitur materiae. Aliud ergo est pendere, aliud vniri: per eductionem itaque forma pendet formaliter, sed non vnitur formaliter.

Vniri & dependere quomodo differant.

D Obserua tertio, creationem animæ rationalis in hoc differre ab eductione formæ materialis, quòd creatio sit vna totalis actio, nullum omninò dicens ordinem ad productionem vnionis, à qua etiam separari potest, & sine illa concipi adequatè;eductio autem essentialiter est productio formæ, simul & vnionis, quia est productio formæ in materia; esse autem productionem formæ in materia est esse materiam fieri formam simul & vnionis, siue illa vnica sit actio, siue duplex, quarum vna producat formam, altera producat vnionem; sed vna tamen ita sit alteri connexa essentialiter, vt ne diuinitus quidem vna esse possit sine altera. His positis,

Creatio &eductio.

Ratio conclusionis est primò, quia si generatio formæ materialis esset vnio, sequeretur equum aut bouem genitos, nunquam esse posse illos eosdem, quos genuerunt equus aut bos generantes, quod est manifestè falsum. Probat, sequi, quia tunc non est idem compositum, quando non est idem vnitum; sed sieductio sit vnio, equus genitus non est idem vnitum, quod genuerunt parentes: ergo non est idem equus. Maior est manifesta, quia vnitum, & compositum, synonyma sunt. Probat, minor. Tunc non est idem vnitum formaliter, quando non est eadem vnio formalis; sicut tunc non est idem album, quando non est eadem albedo; mutarà enim formam mutatur concretum; sed sieductio sit vnio, non manet eadem vnio post generationem, quæ antea erat; nam mutato agente, mutatur actio; hic mutatur agens, quia equus genitus à parentibus,

Prima probatio.

non conservatur nisi à Deo solo : ergo si educio est unio, non manet idem vnitum quod erat antè.

Duplex
eualio.

Responderi primò potest, equum eundem manere, quia manet eadem materia, & eadem forma, quæ prius erant; nec esse opus ut remaneat eadem unio.

Sed contrà. Unio eodem modo est forma denominans compositum vnitum, quo calor denominat calidum; sed mutato calore, mutatur calidum: ergo mutata unione mutatur vnitum. Deinde si mutaretur anima hominis, mutaretur compositum: sed unio non est minùs de conceptu compositi, quàm forma: ergo illà mutata mutatur compositum.

Responderi secundò potest, non esse absurdum fateri, quod non sit equus omnino idem, quem genuerunt parentes.

Sed contrà: nam absurdum est dicere, talem equum esse genitum ab hac equa, & non esse ab ea genitum: sed ille idem equus dicitur esse genitus ab hac equa, alioqui non haberet matrem; & dicitur tamen non esse genitus ab illa: ergo illud absurdum est.

Secunda
probatio.

Secunda ratio est, quia in homine datur unio, quæ non est actio: ergo in aliis etiam omnibus unio non est actio. Antecedens admittunt adversarij, & probatur, quia omnis actio habet terminum aliquem formalem, qui producit: sed generatio in homine si esset unio, non haberet terminum aliquem formalem qui produceretur, materia enim & forma creantur, totum autem compositum non potest fieri nisi fiat aliquid inclusum in eius entitate; ergo generatio in homine non est unio. Deinde ponere formam in materia, est effectus generationis humane: sed formam esse in materia, est unio cum materia: ergo unio est effectus generationis, non autem ipsa generatio.

Sola itaque consequentia primi enthymematis eget probatione; sic enim arguo. Homo est unio compositum cum aliis omnibus compositis materialibus: sed non erit unio compositum, si actio sit unio compositum materialium: ergo educio in compositis materialibus non est unio. Probatur minor. Tunc homo non erit unio compositum cum compositis materialibus, si homo non includat essentialiter actionem, alia verò composita illam includant: sed homo non includit essentialiter actionem, reliqua composita illam includent essentialiter: ergo non sunt unio composita. Deinde si productio forme materialis, & productio eius in materia non essent duæ actiones, sed unica productio solius forme in materia, creatio animæ rationalis in materia dici posset similiter actio unica, & unio animæ cum materia; idè enim (per te) educio est unio, quia exercetur in materia, idè ita fit, ut non sit extra materiam: sed creatio animæ rationalis ita fit in materia, ut non sit extra illam: ergo creatio animæ tam erit unio, quàm educio forme materialis; idè enim educio dicitur esse unio, quia non producit formam extra materiam; creatio autem animæ non producit animam extra materiam: ergo illa tam est unio quàm educio.

Neque dicas, actionem essentialiter esse compositam, propterea unio est: non autem propterea actio; & sic hominem & brutum esse composita unio.

Contrà enim est, quia educio idè est unio, quia est dependentia; sed quatenus est dependentia, est actio: ergo est unio quatenus est actio.

Tertia
ratio.

Tertia ratio est, quia si educio forme esset unio, deberet esse posterior ipsa forma; nam omnis cau-

salitas est aliquid posterius quàm ipsa causa; unio autem est essentialitas forme. Educio forme non potest esse aliquid posterius ipsa formæ, cum sit actio productiva forme: ergo educio forme non est eius unio cum materia.

Obicitur primò. Per illud forma vnitur materiæ, per quod est in materia: sed per educationem forma est in materia: ergo per educationem vnitur materia. Maior certa est, nam uniri materiæ non est aliud, quàm esse in materia. Probatur minor. Per illud forma est in materia, per quod dependet à materia: sed forma per educationem pendet à materia; educio enim est dependentia à materia: ergo per educationem forma est in materia. Imò educio non potest esse in materia, quia forma per illam trahatur ad materiam; sed educio per se ipsam est in materia: ergo educio per se ipsam trahit formam ad materiam.

Respondeo ex prænotatis, formam uniri efficienter per educationem, sed non uniri formaliter; unde distinguitur minor; sed per educationem forma est in materia efficienter & concomitanter, concedo; formaliter, nego. Ad probationem distinguitur maior eodem modo; per illud forma est in materia efficienter, & concomitanter, per quod dependet, concedo; per illud est formaliter, nego; quia quamvis impossibile sit formam educi, quin uniat, cum educio sit fieri formam simul & unionis, non est tamen id quo formaliter vnitur, sed est id quo fit unio formalis.

Obicitur secundò. Educio non propterea est actio, sed propterea passio quædam, est id quo forma ponitur in materia, non efficienter tantum, quia ut sic non est actio: ergo ponitur formaliter. Probatur maior. Receptio subiectiva forme in materia, est id quo forma ponitur in materia: sed educio, propterea passio, est ipsa receptio subiectiva: ergo educio propterea est passio, est id quo forma est in materia. Deinde per illud forma vnitur formaliter, quo posito, sublati aliis omnibus, forma intelligitur in materia; sed posita educatione, sublati aliis omnibus, forma intelligitur necessariò in materia: ergo per educationem forma vnitur formaliter materiæ.

Respondeo, passionem esse formaliter receptionem ipsius actionis, quia est ipsum fieri receptum in materia; non esse autem formaliter receptionem ipsius forme, sed tantum concomitanter; probaturque, quia anima rationalis recipitur, quamvis eius actio non sit passio; & forma materialis fieri potest per creationem, & uniri tunc sine passionis ulla erit receptio. Unde ad argumentum distinguitur maior; passio est id quo forma ponitur in materia concomitanter, concedo; formaliter, nego: quia, ut dixi, non est receptio forme nisi concomitanter. Deinde altera etiam maior distinguitur; per illud forma vnitur formaliter, quo posito, sublati aliis omnibus, forma intelligitur in materia efficienter tantum, & concomitanter, nego: intelligitur in materia formaliter, & præcisè, concedo: posita educatione, & sublati aliis omnibus, forma efficienter & concomitanter intelligitur esse in materia; sed non præcisè, ac formaliter vi illius, quia scilicet poni non potest educio, quin ponatur unio, cuius est fieri.

Obicitur tertio. Prius naturà forma est in materia, quàm recipiat unionem: ergo superfluum est modus unionis distinctus ab educatione. Probo antecedens. Prius naturà existit forma, quàm recipiat in se modum unionis: sed in illo priori forma est in materia, non enim est extra materiam, nec in se ipsa:

Prima ob-
iectio.

Secunda
obiectio.

Tertia ob-
iectio.

ipsa : ergo prius naturā forma est in materia, quam habeat modum vnionis.

Respondeo negando primum antecedens. Ad probationem concedo formam prius naturā existere, quam habeat vnionem, quamuis eodem instanti temporis illam habeat. In illo ergo priori forma reuera est in materia, quamuis non concipiatur esse in materia, nec extra materiam; sicut creatio est prior termino, & in illo priori est in termino, sed non concipitur in termino, nec extra illum; vel potius in illo priori est in termino ab ipsa dependente. Similiter forma in illo priori habet vnionem, sed ab ipsa forma dependentem.

Quarta obiectio.

Obiicitur quartò. Illa non distinguuntur, quā nulla vi, etiam diuina, possunt separari: sed vnio nulla vi diuina potest separari ab eductione: ergo vnio non distinguitur ab eductione. Probo minorem. Vnio formæ cum materia est inhærentia formæ cum materia: sed eductio separari non potest ab inhærentia: ergo separari non potest ab vnione.

Respondeo verum esse, quod vnio separari non potest ab eductione collectiue sumpta, id est, ab omni eductione; sed posse separari ab omni eductione sumpta distributiue, quia non potest esse sine aliqua eductione: sicut quantitas finita esse non potest sine aliqua figura, & creatura esse non potest sine aliqua dependentia; sed esse potest sine quouis determinatē sumpta: nam ab hac vnione separare potest Deus hanc & hanc eductionem.

§. III.

Quotuplex in composito physico sit vnio.

Vnio hæc, quam dixi esse modum distinctum à materia, forma, & eductione, potest esse vel vnica, vel multiplex. Vnicam esse asserit maxima pars Doctorum, sed eam aliqui volunt esse vnā & eandem, tum in materia, tum in forma tanquam in subiecto: alij ponunt eam in sola materia, quidam in sola forma. Qui verò eam volunt esse duplicem, asserunt vnā esse in materia vt subiecto, & terminari ad formam; aliam in forma tanquam in subiecto, & terminari ad materiam.

Duplex vnio.

Dico tertio, admittendam esse necessariò duplicem vnionem partialem in composito physico, alteram in materia, alteram in forma. Ita docent Arrius primo de generat. disp. 2. quaest. 16. Hurtadus disp. 5. Phys. sect. 5. 6. 7. Conimbricenses 2. Physic. c. 2. quaest. 6. art. 2.

Vnica vnio non est in duobus.

Ratio autem sit, quia si daretur vna simplex vnio in composito, vel illa reciperetur in materia simul & forma, vel in materia sola, vel in sola forma: nullum ex his dici potest: ergo non est vnica simplex vnio in composito. Probatur primò, quod recipi non possit in materia simul & forma; nam implicat vt eadem entitas modalis intrinseca sit duobus modificatis distinctis; si enim posset idem modus esse intrinsecus pluribus modificatis, possent plures quantitates habere figuram eandem; plures homines moueri vnico motu; plures effectus fieri per vnā actionem; plures Angeli subsistere per vnā substantiam; tota enim ratio cur hæc impossibilia sint, est quia illa sunt entitates modales, qualis etiam est vnio; nam tametsi necessariò illa nexus est duorum, & essentialiter includit duo, quorum vnū sit subiectum, & alterum terminus; implicat tamen vt includat duo vt subiecta quæ afficiat & modifiet intrinsecè. Deinde id maximè patet in homine; si enim vnica vnio esset

A intrinseca corpori & animæ, & reciperetur in vtroque, vel illa esset immaterialis, & sic recipi non posset in corpore vt subiecto; vel esset materialis, & sic recipi non posset in anima spiritali; nam aliqui anima etiam esse posset quanta, & alba, & calida.

Deinde probatur, quod vnio non sit in sola materia, nec in sola forma; quia ideò materia v. g. indiget vnione intrinseca, quia per generationem incipit aliter se habere intrinsecè: sed æquè forma incipit etiam aliter se habere; non enim minùs incipit forma de non informante fieri informans, quàm materia de non sustentante fieri sustentans: ergo æquè forma recipere debet vnionem intrinsecam, ac materia; idemque argumentum valebit si dixeris, vnionem esse in sola forma; nam materia etiam non minùs mutatur, quàm forma; si enim sine vnione intrinseca potest materia de non sustentante fieri sustentans, poterit etiam forma sine intrinseca vnione fieri de non informante informans. Imò forma perfectiua intrinsecè, recipi debet in eo, cuius est perfectiua: sed vnio est intrinseca perfectiua tum formæ, tum materiæ; nam vtraque incompleta est intrinsecè: ergo debet vnio esse intrinseca vtrique. Denique si vnio esset in sola forma, homo generans nihil planè produceret substantiale; potentia enim corporea, qualis est potentia generatiua, non potest producere aliquid spirituale.

Nec est in sola materia nec in sola forma.

C Obiicitur primò. Frustrà multiplicatur entia sine necessitate: sed per vnica vnionem sufficienter vniuntur materia & forma: quod probatur, quia vbi est essentialis nexus duorum, necessariò duo sunt vnita: sed vnio est essentialis & actualis nexus duorum: ergo per eam duo extrema compositi vniuntur: ergo per vnica vnionem duo extrema compositi necessariò vniuntur. Deinde si vna intelligatur vnio inter materiam & formam, implicat vt non intelligantur ambæ vnite. Denique per vnica vnionem receptam in materia v. g. materia est vnita formæ: ergo per vnica illam vnionem forma est vnita materiæ; nam implicat intelligere materiam intrinsecè vnitam formæ, quin intelligas formam intrinsecè vnitam materiæ.

Prima obiectio.

D Respondeo materiam & formam, cum sint extrema mutationis capacia, non posse vniri sufficienter per vnica vnionem; non enim debent tantum coniungi, sed debent etiam recipere vnionem tanquam perfectionem intrinsecam: vnde ad probationem negatur illa maior, vbi est actualis & essentialis nexus duorum, ibi duo sunt vnita sufficienter tanquam extrema mutationis capacia, & per vnionem perfectibilia, negatur. Similiter si vna intelligatur vnio inter materiam, & formam, illæ tamen non intelliguntur vnite sufficienter tanquam extrema mutationis capacia, & per vnionem intrinsecè perfectibilia, quia vnica vnio esse non potest in duobus subiectis. Denique nego illam consequentiam, si per vnica vnionem materia est intrinsecè vnita formæ: ergo per illam eandem formam est intrinsecè vnita materiæ; quia licet verum sit, quod implicat intelligere materiam intrinsecè vnitam formæ, quin intelligas formam intrinsecè vnitam materiæ concomitanter per diuersam vnionem; non tamen intelligitur vnita per eandem. Ex quibus planè constat, quod vnio vnica non est sufficiens vinculum duorum mutationis capacium, & tanquam intrinseca perfectio amborum; atque adeò duplex requiritur vnio in composito.

Obiicitur secundò. Per vnica vnionem receptam in materia, materia recipit formam intrinsecè: ergo

Secunda obiectio.

ergo per illam vnionem forma recipitur intrinsecè in materia; nam cetera illa non sunt duo distincta: sed formam recipi in materia, est formam vniri materiæ: ergo per solam vnionem receptam in materia forma vnitur materiæ.

Respondeo distinguendo maiorem; per vnionem materia recipit formam intrinsecè, quantum est ex parte materiæ, concedo; quantum est tum ex parte materiæ, tum ex parte formæ, nego: posita enim vnica vnione habet materia totum quod est necesse ex parte materiæ vt recipiat formam; sed non habet totum, quod est necessarium ex parte formæ.

Tertia obiectio.

Obiicitur tertio. Si duæ illæ vniones materiæ ac formæ realiter distinguuntur, possunt ergo inuicem separari, & vna potest existere sine altera: tollatur ergo vnio illa, quæ fingitur esse in ipsa forma, tunc extrema illa vnita manent, cum habeant vnionem: ergo frustrà erit altera vnio.

Respondeo negando, quod possit etiam diuinitus separari vnio formæ ab vnione materiæ; ita vt in sola materia sit vnio, in forma verò non sit vnio vlla. Possunt quidem vniones illæ sic separari, vt tollatur hæc vnio distributiue, manente altera vnione; sed non potest vnio materiæ separari ab omni vnione formæ, quia vna vnio essentialiter connotat aliam.

Quarta obiectio.

Obiicitur quarto posset, quod vnica est vnio hypostatica, quæ vnit humanitatem Christi cum Verbo diuino, & Verbum diuinum cum humanitate. Sed argumentum hoc Theologicum solum est *tertia parte*: vel enim negatur paritas, cum Verbum non sit extremum capax mutationis, & intrinsecè perfectibile per vnionem; vel ponitur vnio ex parte Verbi, quæ distincta non sit ab entitate Verbi. Sed hæc aliàs.

SECTIO VI.

De composito substantiali, quod est corpus.

Ex materiâ, formâ, & vnione, quas hætenus exposui, coalescit totum, quod vocatur essentiale physicum, siue corpus substantiale physicum: totum enim integrale constat ex partibus eiusdem omnino rationis; totum verò metaphysicum constat ex genere ac differentia, ex essentia & existentia, ex supposito & natura. De composito itaque physico, quod est corpus, solum restat dicere hoc loco, an, & quomodo distinguatur à suis partibus. Quod verò vterius queri posset, vtrum omne corpus necessariò constet ex materia & forma, vtrum totum compositum sit subiectum omnium accidentium, disputari debet partim in libris de cælo, partim in libris de generatione.

Prima conclusio.

Dico primò, totum compositum distingui saltem inadæquatè à partibus seorsim sumptis; v. g. distinguitur à forma solitariè sumpta, & à materia solitariè sumpta.

Ratio manifesta est, quia illud distinguitur ab alio, saltem inadæquatè, quod includit aliquid realiter distinctum ab alio: sed compositum includit aliquid distinctum à singulis partibus sumptis seorsim; nam includit aliquid distinctum realiter à materia v. g. cum includat formam; & aliquid distinctum à forma, cum includat materiam: ergo compositum distinguitur à singulis partibus sumptis seorsim.

Secunda conclusio.

Dico secundò, Totum compositum non est vlla entitas, etiam ratione distincta à partibus unitis & simul sumptis. Ita omnino docet Philosophus

A quarto *Physicorum, textu 23. Non est (inquit) præter partes totum.* Et consentiunt ferè omnes Philosophi, contra Scotum & Scotistas, & alios paucos.

Prima ratio.

Ratio est primò, quia vel illa entitas, quæ esset compositum, esset tota essentia hominis v. g. vel esset pars illius essentia: neutrum dici potest; probò enim non esse totam essentiam hominis, quia sic anima & corpus non essent partes hominis essentiales, quod nemo dixerit. Probo similiter, non esse partem essentia, quia sic non esset totum. Deinde daretur progressus in infinitum, quia totum distinguitur à partibus. Illa entitas esset pars: ergo illa entitas distingueretur à toto, & rursum de hoc toto quæretur in infinitum.

B Secundò. Illud totum distinctum à partibus unitis, vel est entitas simplex, vel composita; si est simplex: ergo non est ipsum compositum, quia compositum non est simplex; si composita: ergo distinguitur à suis partibus, quæ non sunt materia & forma; & sic daretur processus infinitus.

Secunda ratio.

Tertio. Intellectis partibus, & præcisò quocunque alio, impossibile est non intelligere totum: ergo totum non distinguitur à partibus. Probatur antecedens. Implicat intelligere formam actu informantem, & materiam actu informatam, quæ intelligatur effectus formalis formæ informantis: sed effectus ille formalis est aliquod formatum, siue totum: ergo non possunt intelligi partes vnitæ simul sumptæ, quin intelligatur totum compositum.

Tertia ratio.

C Obiicitur primò. Nihil esse potest causa sui ipsius: sed materia & forma sunt causæ compositi, etiam prout vnitæ; non enim causant vt separatæ: ergo compositum distinguitur ab illis.

Prima obiectio.

Respondeo, partes etiam vt vnitas posse sumi vel seorsim, vel collectiue. Sumuntur seorsim, quando non sumuntur vt vnica tantum res, sed vt plura extrema inter se distincta: tunc sumuntur collectiue, quando sumuntur vt vnica tantum res conflata ex pluribus. Itaque ad argumentum distinguitur maior; materia, forma, & vnio collectiue sumptæ sunt causæ compositi, nego: materia & forma seorsim sumptæ, concedo.

D Obiicitur secundò. Malè diceret aliquis: Partes vnitæ constant ex partibus unitis; sicut dicitur: Totum compositum constat ex partibus unitis: ergo totum non est partes vnitæ collectiue sumptæ.

Secunda obiectio.

Respondeo negando consequentiam; sequitur enim ex eo duntaxat, quod totum compositum in modo concipiendi differt à partibus, non autem realiter, vel ex parte rei conceptæ; habent enim diuersa nomina, quibus eadem res significatur, sed diuerso modo concepta.

Obiicitur tertio. Totus homo generatur & corrumpitur, non autem partes: ergo totum est aliquid præter partes. Similiter totum continet partes, partes autem non se continent.

Tertia obiectio.

Respondeo, partes hominis non generari & corrumpi secundum proprias entitates, sed secundum vnionem, seu quatenus vnitas; totus autem homo non generatur nisi secundum vnionem. Totum continet partes sumptas seorsim, non sumptas collectiue.

Quarta obiectio.

Obiicitur quarto. Totum est simpliciter vnum, partes autem etiam collectiue sumptæ sunt simpliciter plures: ergo totum distinguitur à partibus.

Respondeo distinguendo maiorem. Totum est simpliciter vnum per compositionem, concedo; per

Quæst. II. Sect. I. de Natura corporum. 119

per simplicitatem, nego. Loca quædam Philosophi allegantur ab aduersariis, quæ nihil faciunt contra id quod dixi; vult enim tantum, quod his tria seorsim sumpta non sunt sex; quod *B. A.* non est *B.* & *A.* separatim; alioqui sibi contradiceret; vt notauit.

QVÆSTIO II.

De natura, & naturalitate corporum.

Aristoteles 2. *Physicorum*, ad textum 15.

CONSIDERAUI hæcenus obiecti partem materialem, corpus videlicet, cuius exposui principia componentia & constituentia; nunc pars eius formalis, *naturalitas* est, de qua quæri tria posse video. Primum, quid sit natura, & quotuplex. Secundum, quid & quotuplex sit ens naturale. Tertiū, quomodo natura comparetur cum arte.

SECTIO I.

Quid, & quotuplex sit natura.

Significatio
nominis.

CERTUM est primum, multiplicem esse significationem nominis *natura*; primum enim significat naturam Deum ipsum, quod ab ipso nascitur, & in ipso sunt omnia; vnus omnia, nihil rerum. Secundum significat cuiusque rei quidditatem, seu essentiam, quo pacto dicitur definitio explicare naturam rei. Tertiū significat totam creaturam causarum vniuersitatem, quo modo miraculum dicitur excedere vires totius naturæ, id est, rerum omnium creaturam. Quarto significat causas creatas, quatenus agunt iuxta instam sibi propensionem; dicimus enim nihil naturam frustra moliri. Quinto significat insitum & natium rei temperamentum; sic enim dicuntur aliqui esse naturæ phlegmatici, alij sanguinei. Sexto sumitur pro rei cuiusque generatione, eo quod ex illa sint nascencia, nascitura, & nata. Septimū significat (maximè propriè) internum principium vnde primum vnaqueque res habet vt moueatur.

Definitio
materiæ.

Certum enim secundum est, naturam rectè definiti ab Aristotele textu tertio, *Principium & causa motus & quietis eius in quo est, primum & per se, non secundum accidens.*

Primum dicitur *principium & causa*; principium significat id à quo aliquid aliquo modo est; causa id à quo aliquid est *per realem influxum*; omnis enim causa est principium, quamuis non omne principium sit causa. Natura ergo dicitur principium & causa, vt excludatur priuatio, quæ principium est motus, sed non causa.

Secundum dicitur *motus & quietis*, vbi nomine, *motus*, intelligitur omnis operatio & productio termini cuiuscunque materialis; nomine *quietis*, intelligitur possessio termini acquisiti per motum, id est res per motum producta: non intelligitur autem sola negatio motus, sicque nomine motus intelligitur qualibet operatio; nomine quietis, quælibet forma producta per operationem. Particula ergo, *Et*, sumitur copulatiuè, ita vt natura sit necessariū principium motus simul & quietis, quia vbiunque operatio est, ibi etiam est terminus per eam productus: v. g. in celo, tamen non est quies secundum locum, est tamen quies quatenus habet multas formas accidentales, quarum principium est natura cæli.

A Dicitur tertiū, *eius in quo est*, id est, compositi substantialis, cuius pars est, quia motus & quies (quorum principium est natura) debent esse immanentes, id est in eo recipi subiecto, in quo est natura. Ignis v. g. non est natura ex eo quod calefaciat aquam, sed ex eo quod per seipsum moueatur sursum.

Dicitur quartum, principium *primum*, seu radicale, ad excludenda principia instrumentalia motuum, qualia sunt accidentia & potentia; quæ insunt corporibus tanquam eorum virtutes.

Denique dicitur *per se, & non secundum accidens*, ad excludendas formas aliquas artificiales, quæ faciunt motum in his, quibus insunt, non per se, sed per accidens, vt quando medicus curat seipsum.

His positis videndum est primum, quomodo naturæ definitio ab Aristotele tradita, bona sit: secundum, quibus rebus illa conueniat.

§. I.

An, & quomodo natura definitio sit legitima.

CONTRA datam naturæ definitionem multa opponi solent; primum quod non videatur essentialis; secundum, quod natura non sit principium immanens; tertiū, quod non sit principium actiuum.

Dico primum, conceptum essentialem naturæ, ac primum, in quibus est natura, esse vt sit principium & causa radicalis omnium operationum & proprietatum; atque adeo definitio naturæ tradita essentialis est, & propria.

Ratio est, quia illud est essentia rei, quo nihil est prius; sed illo principio primo & radicali nihil est prius, quia si aliquid esset prius, iam illud non esset principium primum; imò si principium illud manaret ab essentia, esset principium primum, & non esset principium primum, & prima radix proprietatum.

Denique illud est essentia rei, à quo manant proprietates: sed à principio illo radicali proprietatum manant proprietates: ergo illud principium radicale est essentia rei.

Obiicitur primum. Relatio ad accidentia non potest esse essentialis substantiæ: sed relatio principij est relatio ad accidentia: ergo illa esse non potest essentialis naturæ, quæ substantia est, alioqui sequeretur, quod proprietates sunt de ipsa rei essentia, & quod substantia pendet à suis proprietatibus.

Respondeo, substantiam habere relationem essentialiter ad suas proprietates accidentales; vnde sequitur, quod illa proprietates terminatiuè solum sunt de ipsa rei essentia, & quod substantia terminatiuè pendet à suis proprietatibus; quod non est absurdum.

Obiicitur secundum, multas rerum essentias posse concipi sine ordine ad proprietates; v. g. materia & forma concipi possunt vt partes compositi, natura intellectiua concipi potest prout oritur ex spiritualitate.

Respondeo, nullam vniquam essentiam concipi posse prout est natura, quin concipiatur saltem implicite ordo ad proprietates, esto non concipiatur semper explicite.

Dico secundum, naturam esse semper debere principium immanens, & causam internam; non sufficere autem vt sit causa operans transcurrenter.

Ratio est, quia natura definitur principium motus

Prima conclusio.

Prima obiectio.

Secunda obiectio.

Secunda conclusio.

us eius in quo est; idest, motus illius qui exercetur in eo supposito, in quo est natura: hoc est esse principium immanenter operans. Imò si natura significaret principium etiam operans transeunter, sequeretur Deum & angelos esse naturas corporeas, quia sunt principia motus in corpore recepti. Denique nullus esset motus violentus; omnes enim motus naturales erunt, quia cum procedant à principio extrinseco, erunt motus materiales, v. g. cum lapis sursum proicitur, cum aqua calefit ab igne, quæ omnia falsa & absurda sunt.

Prima obiectio.

Obicitur primò. Actio transiens, etiam ut actio est, idest quatenus procedens à causa efficiente, naturalis est, & non tantum quatenus est passio, idest quatenus recipitur in subiecto: sed actio naturalis procedit à natura: ergo causa transeunter operans est natura.

Respondeo negando maiorem; actio enim transiens, præcisè ut actio est, nec est naturalis, nec violenta: sed dicitur naturalis, vel violenta propter subiectum in quo recipitur.

Secunda obiectio.

Obicitur secundò. Illud dici debet natura, quod distinguitur ab arte, & à causa supernaturali aut violenta: sed causa transeunter operans ab illis distinguitur: ergo est natura.

Respondeo negando, naturam hic distingui tantum ab arte, vel à causa supernaturali, aut violenta; distinguitur enim etiam à causa naturali operante transeunter; causa enim naturalis aliquando appellatur qualibet causa operans secundum existentiam naturæ: sed hoc non est esse naturam, ut ex dictis constat.

Tertia conclusio.

Dico tertio. Quando dicitur *principium motus*, significatur principium radicale, tum *actiuum*, siue productiuum motus; tum *passiuum*, idest receptiuum illius motus.

Ratio.

Ratio est, quia illud est verè natura, quod est principium & causa operationum & passionum alicuius rei: sed principium tum actiuum, tum passiuum sunt causæ operationum & proprietatum; causa enim receptiua est vera causa: ergo principium etiam passiuum est natura. Quod iterum statim patebit, cum ostendam materiam & formam esse naturas.

Prima obiectio.

Obicitur primò. Si principium passiuum motus sit natura, nullus dari poterit motus violentus; omnis enim motus habet principium internum, saltem receptiuum, quia recipitur in subiecto; quod sufficit ut aliquid sit natura: consequens est absurdum: ergo & antecedens. Minor certa est; motus enim lapidis sursum non est naturalis.

Respondeo, omnem motum, qui est à principio interno actiuo, esse naturalem, ut ex dictis constat; motum autem qui procedit à principio passiuo non esse naturalem, nisi sit à principio passiuo habente inclinationem ad illum. Quamvis igitur omnis motus habeat principium internum passiuum, non omnis tamen motus habet principium passiuum habens inclinationem ad illum, ut quando lapis mouetur sursum, quando calefit aqua.

Secunda obiectio.

Obicitur secundò, totam hanc definitionem arti etiam convenire; nam ars saltandi est principium & causa motus eius in quo est; in horologiis etiam ars est causa motus; Archytæ statua suis librata ponderibus volitabat, ut refert Agellius lib. 10. *noctium Aristarum*; Menonnis statua, teste Callistrato, solem orientem hilari voce, occidentem lugubri salutabat: quibus adde Leonis Imperatoris aureas auiculas cantillantes, & alia huiusmodi.

Respondeo negando hanc definitionem conue-

nire arti, quæ nunquam est principium & radicale principium motus; ars v. g. saltandi non est nisi principium proximum dirigens, quomodo fieri debeat ille motus; vel certè non est principium motus, sed modi, quo fit ille motus, quia natura principium eius est; cum enim aliquis saltat, non ars illum mouet, sed anima. Horologium non mouetur à forma artificiali, sed à suis ponderibus, quæ graui sunt: quod idem dicendum est de omnibus automatis, quæ mouentur à suis ponderibus & rotis.

Obicitur tertio. Tristitia & dolor sunt à principio actiuo, & tamen non sunt naturales: ergo male definitur natura principium *internum*.

Respondeo, dolorem & tristitiam esse simpliciter ratione sui naturales, quamvis secundum quid & per accidens, propter effectum aliquem adiunctum, dicantur naturæ contraria.

§. II.

Quibus rebus conueniat definitio naturæ.

Certum est primò, accidentia nec esse, nec habere naturas, cum non sint principium primum, & radicale ipsius motus.

Accidentia

Certum est secundò, Deum & Angelos nec esse, nec habere naturam, cum non sint principia motuum & proprietatum sensibilium in se ipsis, quamuis si latius sumatur naturæ nomen pro radicali principio cuiuscunque motus, etiam insensibilis, dici possint habere naturam.

Deus & angel.

Certum est tertio, compositum substantiale habere quidem naturam, sed nullo modo esse naturam, quia non inest alteri; quod requiritur ad naturam.

Compositum.

Difficultas igitur est, utrum materia, & forma substantialis, præsertim verò anima rationalis ut rationalis, habeat rationem naturæ.

Dico primò, materiam primam non esse naturam secundum potentiam vniuersalem & remotam, sed secundum potentiam particularem. Primò est contra Vasquem 1. 2. *disputat.* 25. ubi absolute negat materiam esse naturam. Deinde contra Suarezium, Hurtadum, & alios, qui materiam absolute volunt esse naturam.

Prima conclusio.

Ratio primæ partis est, quia materia in tantum dici potest natura, in quantum eius effectus possunt dici naturales, aut violenti: sed effectus materiae non possunt dici naturales in quantum pendent à potentia eius vniuersali & remota, quia materia ut sic est indifferens ad motus violentos, & naturales, aut artificiales: ergo materia non est natura, prout est potentia vniuersalis & remota.

Prima pars conclusio.

Ratio secundæ partis est, quia materia prout est potentia proxima, & particularis, idest, prout determinata per dispositiones, & formam, est principium & causa receptiua eius in quo est: ergo est natura. Deinde compositum naturale constat ex naturis, quarum una sine dubio est materia. Vnde Aristoteles *textu 4.* dicit, *naturam aut esse subiectum, aut esse in subiecto.*

Secunda pars conclusio.

Obicitur primò. Materia prima ex Aristotele natura est: sed materia secundum potentiam particularem non est materia prima, sed secunda: ergo materia est natura secundum potentiam vniuersalem. Imò materia natura est prout distinguitur à forma: sed prout est potentia particularis non distinguitur à forma, sed illam includit: ergo materia prima est natura etiam secundum potentiam vniuersalem.

Prima obiectio.

Respondeo,

Respondeo, materiam primam non esse naturam præcisè ut est materia prima, sed tantum prout est materia secunda, quo pacto connotat quidem formam, sed ab illa tamen distinguitur.

Secunda obiectio.

Obiicitur secundò. Materia prima est principium motus naturalis qui repugnat formæ: v.g. calefactio aquæ, naturalis est ratione materiæ, quamvis sit violenta ratione formæ: ergo materia natura est, etiam prout determinatur per formam. Deinde materia prima ut est materia prima, est principium motus naturalis, nimirum generationis & corruptionis, quæ recipiuntur in sola materia, & sunt naturales: ergo materia prima ut sic, est natura, quia quod est principium motus naturalis, est natura.

Respondeo calefactionem receptam in aqua esse simpliciter violentam, quamvis sit à principio receptiva, quia non est iuxta proximam inclinationem illius; generatio & corruptio sunt actiones naturales quatenus recipiuntur in materia determinata per formam de nouo productam, & per illius dispositiones, non autem prout determinata per formam corruptam, unde distinguitur illud antecedens; materia prima est principium motus naturalis, nimirum generationis & corruptionis, prout materia est determinata per formam corruptam, nego; per formam productam concedo.

Tertia obiectio.

Obiicitur tertio. Si principium passivum est natura, sequitur tenebras esse violentas aëri, cui lux erit naturalis; quies post diem iudicii erit violenta cælo, cui nunc naturalis est motus.

Respondeo negando, sequi quod tenebræ violentæ sint aëri, & quod quies post diem iudicii futura sit violenta cælo: duobus enim modis potest aliquid esse iuxta inclinationem alicuius: primò, ita ut habeat illius indigentiam; sic enim frigus est iuxta exigentiam aquæ, cui violenta est eius privatio; secundò, ita ut habeat privationem sine indigentia; hoc modo lux est naturalis aëri, & motus cælo; idè privationes illorum non sunt eis violentæ.

Secunda conclusio.

Dico secundò, formam quamlibet substantialem esse verè ac propriè naturam, etiam animam rationalem, prout est rationalis. Ita communiter asserit tota schola, contra quosdam Arabes negantes, animam rationalem esse formam corporis. Antequam autem probetur,

Triplicis gradus in anima rationali.

Observe triplicem in anima rationali gradum distingui, vegetativum, sensitivum, & intellectivum; & adhuc gradum intellectivum alium esse genericum, alium specificum. Gradus genericus est vis intellectiva communis homini & Angelo: gradus specificus est tale intellectivum, cui adiuncta necessarium est operatio phantasiæ, & dirigit motum progressivum. Certum est animam rationalem esse naturam prout est vegetativa & sensitiva: certum etiam est, illam non esse naturam secundum gradum genericum *rationalis*. Queritur ergo, utrum sit natura secundum gradum illum specificum, quod asserēbam in conclusione.

Ratio.

Ratio est, quia omne corpus naturale constituitur per aliquam formam, quæ sit natura: sed homo ut homo, est corpus naturale: ergo debet constitui per formam quæ sit natura: sed homo constituitur per animam rationalem ut est rationalis: ergo anima rationalis ut sic est natura. Deinde illud est natura, quod est principium motus sensibilis immanentis; sed anima, quatenus movet corpus per rationem, & quatenus est principium ridentis, loquendi, est tale principium: ergo est natura.

R. P. de Rhodæ curs. Philosoph.

A Obiicitur primò. Anima rationalis, ut rationalis, est tantum principium intellectus & volitionis, qui sunt motus purè immateriales: ergo anima ut sic non est natura.

Prima obiectio.

Respondeo negando antecedens; anima enim rationalis secundum gradum specificum non est principium solius intellectus & volitionis, ut sunt purè spirituales; sed prout habent etiam adiunctam operationem phantasiæ.

Obiicitur secundò, naturam ex Aristotele, vel esse in subiecto, vel esse in subiecto: anima rationalis neutrum est: ergo non est natura.

Secunda obiectio.

Respondeo, animam rationalem non esse in subiecto sustentante, quia esse potest sine corpore; sed esse in subiecto recipiente, quia est unita corpori tanquam vera forma.

SECTIO II.

Quid, & quod duplex sit ens naturale.

Certum est primò, nomen *naturale*, concretum esse, deductum à natura; eius autem acceptio multiplex est. Primò enim dicitur naturale, prout opponitur miraculoso; & est id quod viribus naturæ fieri potest: secundò prout opponitur morali, estque id quod sit sine consideratione rationis & libertate: tertio prout opponitur libero, & est quod sit necessarium: quarto prout opponitur artificioso; quinto prout opponitur supernaturali: sexto prout opponitur violento. Tres priores acceptiones minus propriæ sunt: tres posteriores sunt magis veræ, de quibus hic propriè sermo est.

Nomen naturalis.

Certum est secundò, naturale propriè loquendo posse definiri, *Quod habet in se naturam, vel est à natura*; duobus enim modis dicitur aliquid esse naturale: primò *essentialiter*, secundò *causaliter*: naturale essentialiter est id, quod habet in se principium vel actum, vel receptivum motus in se recepti; quo modo naturales dici possunt substantiæ omnes completæ; substantiæ verò incompletæ, non sunt naturales, sed sunt naturæ. Naturale causaliter vocatur illud, quod est à principio interno activo, vel passivo; quo modo dicuntur naturales operationes, & formæ, quæ habent principium actuum, vel passivum. Naturale igitur rectè definebam, quod habet in se naturam, vel quod est à natura. Primum est naturale essentialiter, alterum est naturale causaliter. His positis.

Definitio naturalis.

Dico primò. Ut aliquid naturale sit essentialiter, requiritur primò ut habeat principium, saltem passivum motus in se recepti: secundò ut ille motus sit iuxta inclinationem eius in quo recipitur, & agentis. Ut sit naturale causaliter, requiritur primò ut sit iuxta inclinationem passivam in quo recipitur; non sufficit autem, neque requiritur ut sit iuxta illius inclinationem, à quo producit.

Quænam exigit.

E Ratio est, quia quatuor modis potest in subiecto aliquid recipi. Primò iuxta exigentiam eius in quo recipitur, ut frigus recipitur in aqua: secundò supra exigentiam eius in quo recipitur, ut gratia recipitur in anima: tertio contra exigentiam, ut calor recipitur in aqua: quarto præter exigentiam, ita ut nec sit supra, nec contra, nec iuxta exigentiam. Quando est iuxta exigentiam, dicitur naturale; quando est supra exigentiam, dicitur supernaturale; quando contra exigentiam, dicitur violentum; quando nullam est ex illis, dicitur præternaturale.

Probatio.

L Itaque

Itaque ut aliquid naturale sit essentialiter, non sufficit ut habeat internum principium receptivum, aut etiam actuum motus; sed requiritur ut sit iuxta inclinationem ipsius passivi, alioqui ens quodlibet supernaturale ac violentum esset naturale, cum semper sit à principio passivo interno; imò & sapè à principio activo, ut actus fidei est ab intellectu. Ut autem sit naturale causaliter, non sufficit quod sit iuxta inclinationem agentis; quia dum ignis calefacit aquam, motus est violentus, ut patet.

Supernaturale.

Dico secundò. Supernaturale per modum termini, propriè dicitur illud, quod est indebitum cui-cunque subiecto creato & creabili; supernaturale verò per modum principij, dicitur illud quod conaturaliter producere potest aliquid indebitum cui-cunque subiecto creato; quod totum exponere ac probare alterius loci est, & fusè probatum est in tractatu de Deo, & in tractatu de fide.

Violentum.

Dico tertio. Violentum benè definitur, quod est à principio extrinseco, reluctante passivo; quod enim est violentum, debet includere duo. Primum, ut sit ab externo principio activo; secundum, ut sit contra inclinationem ipsius passivi. Potest tamen dici aliquid violentum saltem inadæquatè, quantum sit à principio interno, quod totum expositum est in Morali, & prima secunda, cum dixi de actibus voluntariis.

SECTIO III.

Comparatio naturæ cum arte.

Ars quid sit.

Ars appellatur habitus intellectualis, qui cum re-
flecta ratione producit opera extra se; ideoque
reperitur in solis agentibus per intellectum. Sumi-
tur aprem ars vel ex parte artificis, & est notitia
practica directiva operis; vel ex parte operis, & est
opus ipsum ab artifice factum iuxta tales regulas.
Naturam ergo hæcenus explicatam comparo cum
arte, primò quoad similitudinem & dissimilitudi-
nem, secundò quoad actiuitatem, tertio quoad per-
fectionem.

§. I.

Comparatio naturæ cum arte quoad similitudi- nem, & dissimilitudinem.

Quinque
artis & na-
ture simi-
tudines.

Dico primò, plura esse in quibus conveniunt
ars & natura; quædam in quibus dissentiunt.
Conveniunt primò, quod natura & ars certis le-
gibus ordinatè procedunt; sicut enim certæ sunt
leges, quas artifex in opere suo sequitur, ita Deus
author naturæ certas leges rebus naturalibus præ-
scripsit, quas perpetuò sequuntur, nisi aliquid in-
terveniat impedimentum, propter quod aliquando
fit monstrum. Vnde Plato duplicem ponebat ar-
tem; alteram humanam, sub quam caderent omnia,
quæ artificum opera elaborantur; alteram divi-
nam, ad quam pertinerent quæcunque sunt naturæ,
quam ideo Platonici artem vocabant Dei. Secun-
dò, sicut ars supponit compositum substantiale à
natura productum, ita natura materiam primam
productam à Deo, in qua suas producat formas;
sicque Deus res ex nihilo profert, natura ex ente
incompleto, ars ex ente completo. Tertio, sicut
agens naturale producit effectum sibi similem in
natura leo v.g. generat leonem producus in eo for-
mam similem suæ formæ; sic etiam ars effectum si-
mitem producit formæ, quam in mente habet; pi-

Actor enim exprimit in tabella imaginem idealem,
quam mente præconcepit. Quarto, cum natura, tum
ars ab imperfectioribus ad perfectiora progrediun-
tur; pictor v.g. opus præconcepit prius leuiter
adumbrat; natura format prius embryonem: sicque
debet intelligi quod habet Philosophus in probl.
sect. 10. probl. 44. Naturam facere præ omnem, & plu-
ra præ quam recta; quia in procreatione animan-
tium ab initio agit imperfectè; & plura facit imper-
fecta, quia plura in inferiori gradu stant. Quintò, si-
cut natura divinam emulatur artem, sic ars natu-
ram, quantum potest, imitatur: sicut enim eo perfe-
ctior natura, quanto magis divinæ artis præstantiam
exprimit; sic ars tanto commendatur amplius, quan-
tò magis imitatur naturam, & res veris viciniores
imitando exhibet. Notæ sunt Dædali statua, huc il-
lucque discurrentes: Archimedis sphaera vitrea, cæli
motus & similitudinem representans: Cosiorum Per-
sarum Regis machina toto mundo grauida: ligna
Tarentini Archytæ columba volitans: tripodes au-
reæ seipsum mobiles in conuiuiu Iarchæ. Nota etiam
est illa Milonis bucula, cuius ad aspectum admugie-
bam tauri: nota Zeuxidis tabula, in qua vvas tantæ
expresserat arte, ut ad eas cum impetu aues aduola-
rent. Idem testatur Parrhasij velum, quod suum etiam
amulum ludificauit. Plura si voles consule Plin-
ium, Olaus Magnum, Scaligerum in exercitati-
onibus contra Cardanum.

Dissimiles sunt ars & natura, quod ars res non
faciat veras, sed veri tantum imitatrices; verum
v.g. non facit Cæsarem, sed imaginem Cæsaris. Se-
cundò, formæ artefactorum entibus adueniunt
completis, naturales enti adueniunt in potentia,
id est soli materiæ; vnde dicitur quod ars sibi inci-
pit, ubi desinit natura. Tertio, natura pertinet ad
ipsam rei substantiam, ars pertinet ad aliquod dun-
taxat accidens superadditum naturæ; vnde ars non
est principium actuum motus, sed directivum dun-
taxat. Quarto, formæ artificiosæ vim non habent
producendi similem sibi formam, formæ verò na-
turali talis semper inest efficacia: ignis v.g. gene-
rat ignem, imago Cæsaris aliam non potest produ-
cere imaginem; formæ videlicet naturales viue
sunt & actuosæ, formæ artificiosæ ignaue sunt &
emortuæ. Quintò, naturæ vis non in extrema dun-
taxat exercetur superficie, sed internas penetrat par-
tes; ars verò tota in superficie solum extima elab-
orat.

Quinque
differentiæ.

§. II.

Comparatio artis & naturæ quoad actiuitatem: & quid efficere possit ars chymica.

Ars naturæ opera emulatur, ut dixi; sed ea,
quam Alchymiam appellant, præcipuam in
eo sibi palmam apparat, dum aurum exhibet, quod
in sola sede manuum quæri solet (ut ait Plinius lib. 33.)
Videndum itaque breuiter est, quid in eo tam illu-
stri opere ipsa possit, ut vel eius commendare liceat
industriam, vel audaciam improbare.

Dico secundò, artis Chymicæ nobilissimam par-
tem esse chrysopæiam, quæ verum, & probatum au-
rum ac argentum efficere potest, quanquam id sit
admodum difficile, ac fraudibus obnoxium: sed
non videtur tamen satis prudenter posse dici, quod
illud hæcenus non sit factum. Tres in hac conclu-
sione sunt partes, quæ priusquam probentur,
explicanda sunt nomen & definitio artis chy-
micæ; tum origo & species; postremò varij
modi,

Conclusio
tres habens
partes.

Nomen
Alchymia.

modi, quibus verum aurum effici posse dicitur. Oblerua igitur primò, circa nomen Alchymia non conuenire Authores, quorum aliqui volunt Hebraicum illud esse, deducuntque ab *alichim*, quod significat fluxum: alij Græcum faciunt, & deducunt à *χύμα*, vel *χυμα*, fundo, eo quòd per eam liquentur metalla. Cælius Rhodiginus lib. 7. c. 11. Alchimiam quasi *ἀργύρεα χυμείαν* vocat, argenti fusionem. Biscola lib. 16. *horarum*, c. 1. putat vocem hanc esse corruptam ex Græco, quali *χαλκχυμείαν*, æris fusionem, eo quòd ad faciendum aurum varia liquentur metalla; & Suidam pro se citat. Libanius lib. 1. *epistolarum chymicarum*, epist. 6. & Henricus Contadus c. 7. *sua confessionis*, deriuant *ἀπο τοῦ αἵματος* & *χέματος*, à fusione salis, cuius salis effectus quosdam admirabiles Chymici prædicant. Quidam ex Plutarcho lib. de *Iside*, tradunt Egyptum sacrâ linguâ vocari *Chemiam*, ita vt ars hac vocata sit Chemia, quasi Egyptia, vel ab Egyptiis tradita: sed errare tamen videntur illi, quia Egyptus non Chemia, sed à Chamo, dicta est Chammia.

Ego cum Suida & peritioribus Græcæ linguæ Authoribus puto probabilius, chemiam significare preparationem artificiosam cuiuscunque rei, quocunque illa modo fiat; artem verò, quæ ita præparat, præsertim metalla, vt ex eis fiat aliud aliquid, vocari chemiam à *χημίσαι*, quod est præparare, quasi preparatorium materię, ex qua fiunt transmutationes. Quia verò non præparat eo modo nisi per ignem, liquando, & transmutando; idèd communiter vocatur ars chemica, seu fusoria, vel vt loquitur Fernclius, *Fi silis Philosophia*. Facile autem à *χημεία*, deriuata est Alchymia, quæ species est Chemia; siue *ἀπο τοῦ αἵματος* (vt volebat Libanius) siue ab *als*, Arabico articulo, quod tamen reprobat Delrio, quia notum Romanis Alchymia nomen erat antequam vlli apud ipsos essent Arabes Philosophi, cum habeatur apud Iulium Firmicum, qui temporibus vixit Magni Constantini: siue ab ipsis Alchymistis hoc, vt alia plura, fictum sit nomen barbarum. Hæc de nomine.

Definitio.

Oblerua secundò, definitionem chemia artis, & eius speciei; sic enim illa potest definiri, *Est ars quæ ex unoquoque, tum stirpium, tum metallorum, tum vinorum genere, substantias elicit diuersas, temperata virtute ignis in fornaculis; idèdque appellatur Pyrotechnia*, quasi ars igniaria, quia ignis virtute potissimum vitur: vocatur *Spagyrica*, *παρὰ τοῦ σπᾶν, καὶ ἀγνῆς*, à segregando & congregando. Tres autem inuenio præcipuas eius species. Prima vocatur *Resolutoria*, secunda *Purificatoria*, tertia *Transmutatoria*. Resolutoria vocatur, quæ gemmarum, metallorum, herbarum, & aliorum corporum subtilissimos spiritus educens, quintas (vt vocant) essentias elicit, crassiorem excernendo substantiam: facit videlicet aurum potabile, metalla depurat, segregat, perficit, lapides conflat, aquam elicit, ignem vegetat, & in igne vegetato ac quasi perennato specimen edit artis, & efficacitatis suæ in humana vita propaganda. Fuit enim olim in sepulchris hoc vsitatum, vt perennes illas lampades apponerent, qualem refert Scardeonius in historia Patavina, inuentam esse in sepulchro Olybij Maximi, quæ pluitibus sæculis ardens conseruata fuerat. Et hæc pars chymicæ, sine dubio patet esse præstantissima Philosophiæ. Secunda facis, & vulgaris, est quæ metalla tantum depurat. Tertia, & præcipua, maxime propriè vocatur Alchymia, Chrysopeia, Chrysurgia, quæ in extrahendo, siue separando, & in congregando, siue coagulando ex aliis metallis auro tota occupatur: pro qua

R. P. de Rhodis curf. Philosoph.

A Oblerua tertio, eius definitionem & originem, sic enim describi potest, *Est ars quæ vel ex asse sit pauculi pulueris aurei ramentis aurum multiplicat, vel ex non auro verum aurum producit, ignis beneficio, siue id fiat per lapidem (vt appellant) Philosophicum, siue aliter*. Vbi duæ indicantur generales partes huius Chrysopeia. Prima ex auro auget aurum: secunda omnino producit aurum de nouo. **Artis** Eius origo: verò huius originem multi vetustissimam esse volunt; quidam enim libellum obtrudunt nescio quem Adami titulo, alij Moysis, alij Mariæ sororis eius, & Salomonis, & Hermetis Trismegisti, & Aristotelis, & Pythagoræorum; alij artis huius inuentorem volunt esse Sisiphum; ad saxum reuolubile propterea ligatum: alij cum Suida, vellus aureum, quod quæsierunt Argonautæ, aiunt libros fuisse, qui doctrinam continerent Alchymia in arietinis membranis descriptam, ad quam etiam Lilius Giraldu, & Ioannes Pinus referunt mala aurea Hesperidum: addunt alij hoc esse aureum flumen (ab aliis *femur* vocatur) quod Pythagoræus in *Olympis* ostendit, hoc illud esse apud Hypocratem sacrum terræ opus, ex quo animantia, plantæ, alimmenta, pharmaca, fortuna, & ac ipse Plutus profluunt. Quæ omnia, vt vides, sunt incertissima. Hoc autem est certum, nihil de arte hac in historiis legi ante tempora Caligula, vt docet Plinius lib. 33. c. 4. hinc sub Diocletiano narrat Suidas, exstos esse libros Egyptiorum Alchymicos, ne illi facti ditiores, nouis rebus studerent. Locupletarunt hanc artem Paracelsus, Theophrastus, Blemmydas, & Geber Arabs. Hæc de origine.

Oblerua quarto, mirabiles omnino effectus referri artis huius auri factoriæ, quorum aspectu multi sapè minus cauti decipiuntur. Plures huiusmodi recenset Vecherus lib. 10. metalla enim qualibet Chymista in aquam, vel calcem dissolunt, & iterum in corpus solidum reducant, vt docet Cardanus; efficiunt vt sint mollia instar cere, aureum colorem dant ferro, argentum viuum congelant, fixum reddunt, & in aurum tingunt, aliquando cum oleo, aliquando cum pilis aneis, & arsenico in verum argentum conuertunt, effectum multiplicant, liquidum reddunt, colorem eius mutant & reparant, ari, cupro, argento miscunt, & mox omnia separant metalla; argentum, ferrum, ac plumbum ita tingunt in aurum, vt verum aurum esse videatur; ferrum molle reddunt sicut & vitrum; crystallum fusilem; ex lapillis fluminum gemmas conficiunt veris haud absumiles. Sed præcipuum tamen, ac quasi palmare huius artis opus est aurum efficere: materia ex qua efficiunt, est metallum quodlibet; præsertim argentum, æs, plumbum, cuprum, argentum viuum. Vt autem capi aliquo modo possit quomodo dicatur petisci mirabilis illa transmutatio;

Oblerua quinto, quatuor potissimum modos esse quibus hæc ars aurum efficere se posse gloriatur ex metallis præparatis, quos recensent Vecherus, Fallopius, Mizaldus. Primò enim conueniunt omnes, transformationem hanc posse fieri beneficio lapidis (vt ipsi nominant) Philosophici, non quòd ille sit lapis; est enim vel puluis, vel oleum quoddam, albicans plerumque, vel rubrum. Putant autem lapidem hunc esse verum auri semen, de cuius mirabili efficacia hæc splendidi, quam verius prædicat Anguella lib. de *chrysopeia*, ad Leonem X. *Ipsius, vt tenui, præcilla parte per undas aquoris, argentum si viuum tum foret aquor, omne vel immensum verum mare posset in aurum*. Secundò, per auri pulueris ramenta multiplicando

L 2 aurum

Definitio
chrysopeia.

Effectus mirabiles huius artis.

Modi quibus aurum conficitur.

aurum ex aliis metallis. Tertiò, per solam ignis attemperati efficaciam, mutando argentum viuum, & sulphur in verum aurum. Quarto, adhibito argento viuo, alia metalla, præcipue argentum in aurum mutando per varias liquationes & visiones.

Lapis Philosophicus.

Obserua sextò, circa materiam huius lapidis, quem, vt dixi, prædicant esse verum semen auri (non enim idem omnes circa eam sentiunt) quod alij putant esse auri scoriã, alij vitriolum, & arsenicum, alumen, magnesiã, calchatham; peritiores ferè consentiunt aptissimum esse sulphur & hydrargyrum; sic videlicet illi ratiocinantur: Materia remota metalli exigit duo, primò exhalationem quandam humectam, seu vinctuosum aqueum incorporatum, deinde terræ portionem crassam & viscosam; sic enim terræ huic aqua illa pinguis & aërea corporatur, in primam & remotiorem auri materiam (quæ omnium metallorum & lapidum communis est) si enim plus habeat ariditatis & humiditatis vinctuosæ ac pinguis, exit in metallum; vbi verò illa pinguedo redundat, est aurum. Totum autem illud temperamentum facilius inuenitur in sulphure & hydrargyro commixtis; nam hydrargyrum potissimum coalescit ex humido pingui & aëreo; ex terræ verò pinguedine seu viscositate gignitur sulphur, vnde fit vt materia remotior auri sulphur sit hydrargyro commixtum, in quorum qualitates metallum prius transiit, quàm in aurum commutetur vi huius lapidis.

Modus faciendi lapidis huius.

Obserua septimò, modos quibus ille lapis conficitur, plures prædicari. Fernelius lib. 2. de abditis rerum causis, c. 18. sic tradit: Auri purissimi vinctus duas, argenti viui magno artis studio preparati, decuplo; permisce, igneque languido dissolue, donec argentum viuum prorsus expiret, pristinumque auri pondus remaneat in auri puluerem redactum, qui tamen liquatus in propriam possit naturam redire: ex hoc deinde puluere igne acerrimo vaporarij aquam continenter elicies, donec puluis totus in cinerem candidissimum, & in calcem redigatur, deinde calcem hanc, seu puluerem septies aqua resperge, postremo puram illam calcem obturato vase reconde fino equino calente diebus 40. dum in humorem album & crassum liquecat; in hunc humorem iustis dierum intervallis aquam sensim infunde, vt calx aquam suam omnem sensim imbibens, quasi illinc emittat in laj idem verum concreseat. Hoc est (inquit Fernelius) frugiferum auri semen, cuius drachma si in 250. plumbi, vel stanni drachmas infundatur, totum illud in aurum conuertetur. Hæc ille, cuius ego sanè appello fidem, meam autem libero. Aliter Vecherus lib. 10. c. 7. Raymundus Lullus, & Fallopius, qui legi possunt.

Varia vocabula.

Obserua octauò, mirabiliarios istos nugarum venditores obscurissimis vt vocabilis vt artem suam occultant, & incautos decipiant. Plumbum eis vocatur Saturnus, stannum Iuppiter, Mars ferrum, Sol aurum, Venus æs vel cuprum, Mercurius argentum viuum, Luna argentum, vitriolum Calcotar, arsenicum Iosue, antimonium Muhifar, sal armoniacum aquila. Lapidem verò suum Thaumatoptæum variis appellant vocabulis, aquam viuum, aquam vitæ, aquam siccam, lignum vitæ, sanguinem humanum, Mercurium Philosophorum, draconem, cornum, elixir, medicinam morborum omnium.

Triplex sententia.

Obserua nonò, trifariam Authores diuisos esse circa effectiõnem veri auri per Alchymiam. Primo enim fieri per Alchymiam posse verum aurum, negant absolute S. Thomas quest. 6. de potentia, & saepe alibi, Tostatus in 7. caput Exodus, quest. 10. Greg. Agric. lib. 5. de fossilibus, Scaliger exercit. 106. Pineda lib. 4. de Salomone, Comitulus lib. 3.

A responsorum moralium 8. 23. Petrarcha lib. 1. de rebus diis vtriusque fortuna, cap. 111. Franciscus Victoria tract. de arte magica. Secundo alij aiunt, posse quidem, physice loquendo, verum aurum effici ab Alchymistis, sed negant illud esse possibile moraliter, atque adeò negant illud vnquam hæcenus esse factum; sic enim docent Pererius lib. de magia, Valentia secunda secunda, disp. 6. quest. 13. pag. secunda, Conimb. hic quest. 6. Tertiò longè mitius cum Alchymistis agendum alij putant, concedentes effectiõnem veri auri per Alchymiam esse sanè admodum difficilem & pererram, sed non omninò tamen impossibilem, adeò vt factum etiam sit per eam artem verum & probatum aurum, sed pererratum tamen, & difficillimè. Ita censent Deltio lib. 1. dequisitionum, c. 5. sect. 2. Bisicola lib. 16. horarum. Andreas Libanius lib. 1. singularium, symaxi 2. Antonius Mirandulanus lib. 10. de singulari certamine, Cardanus lib. 6. de subtilitate, & lib. 10. de varietate, c. 51. Michaël Psellus lib. de dyrosopora ad Constantinum Ducem, Zimara in sua tabula, Panormitanus de forisilegiis, Timon in lib. 3. me. coronum, quest. vlt. Fernelius lib. 2. de abditis reum causis, c. 18. quibus assensus in conclusione proposita, cuius

Ratio est, quia vt ex hydrargyro fiat verum aurum, nihil est quod excedat vires ignis agentis in materiam dispositam: ergo potest vi ignis fieri verum aurum. Probatum antecedens primò, quia non est minus mirabilis mutatio pomi, aut panis in carnem vi caloris naturalis, quàm hydrargyri mutatio in aurum: sed vi caloris naturalis cibis transiit in carnem, & ossa: ergo & per calorem ignis hydrargyrum mutari potest in aurum, præsertim cum metalla magis similia sint auro, quàm panis aut pomum carni aut neruis. Deinde si potest ars imitari alia quædam difficiliora naturæ opera, poterit etiam efficere verum aurum: sed ars efficere potest viuientia ex non viuientibus, quæ sunt difficiliora quàm verum aurum: ergo potest etiam efficere verum aurum. Minor multis probatur experientis, referunt enim Pererius & Scaliger locis citatis, quod ex herba basilisco rite præparata & collocata scorpiones efficiuntur; ex ouis cætri calore fornacis solent pulli educi, non secus quàm si fouisset eos mater. Videmus etiam naturaliter vermes quosdam in muscas mutari, lolium in triticum fuisse mutatum narrat Theophrastus. In Scotia ex putridis nauium fragmentis, & ex arborum fructibus in mare deciduis gignuntur anates. Scribit Herodotus Platanum in oleam esse commutatam, alij cadauera in statuam salis. Ex plumbo cui miscetur acetum, dicitur confici cerussa, hæc si aduratur, fieri sandaraca fictitia. Orichalcum omninò simile naturali & fossili fit ex ære, vitri puluere, & lapidis calaminaris tinctura per ignis adustionem in fornace. Cum ergo tam mirabiles tum in arte, tum in natura fiant mutationes, non satis probabiliter videtur posse negari hæc metallorum conuersio in aurum.

Secundò. Non videtur dici debere impossibile, imò & negari factum aliquando esse id quod plurimi probati & periti homines asserunt se vidisse & probasse: sed plerique fide dignissimi viri asserunt se vidisse ac rite probasse verum & sincerum aurum factum per artem chymicam, vt ostendit Deltio sect. 4. non ergo videtur id negari posse. V. g. Arnoldus Villanouanus virgulas aureas per artem effecit, easque omnium examini Romæ subiecit, vt referunt Iuriconsulti grauiissimi apud Deltium; idemque præstitisse Bernardum Trevisanum in Gallia, Raymundum Lullum in Anglia,

Prima probatio vera sententia.

Secunda probatio.

glia, quem in suam sententiam perduxit Villano-
uanus, cum eius respondere non posset argumentis,
sed factis probasset illa nihil euincere. Idem alij
plures præstitisse referuntur, licet non diffitear
plerosque sapè impostores repertos esse, qui hanc
artem professi sunt vt diuitum crumenas emunge-
rent. Referunt pleraque huiusmodi exempla Ma-
iolius tom. 2. *dierum canicul. colloq. 7.* Delrio loco
citato, & quæst. 3. sed hoc non euincit Chymicos
omnes esse fraudum & mendaciorum fabricatores.

Tertia pro-
batio.

Tertio. Nec implicat ex parte materia, nec
ex parte modi operandi, vt arte hac fiat verum au-
rum; materia enim est indifferens ad omnem for-
mam, modus autem operandi est per decoctionem
naturalem ignis, qui decoctionem caloris naturalis
imitari proximè potest: ergo non est neganda veri
auri effectio per Alchimiam: quod vt magis constet,

Prima ob-
iectio.

Obiicitur primò. Non possunt Chymici effi-
cere aurum, si materiam non habent ex qua illud
conficitur: materiam verò illam habere nequeunt,
cum illa sit solus halitus inclusus in terræ visceri-
bus: ergo non possunt illi efficere verum aurum.

Deinde si posset ars illa ex cæteris metallis ve-
rum conficere aurum, sequeretur omnia metalla
vnius esse speciei, omnia videlicet esse aurum in-
choatum, & rude; quod videtur absurdum.

Respondeo, posse residere in metallis halitum il-
lum subterraneum, qui auto necessarius est; cum
enim vbi vis ignis in fornaculis decoxerit, sufficere
posse ad formationem auri. Ad id quod additur,
metalla omnia vnius esse speciei, Delrio affirmatiuè
respondet: mihi verò probabilius videtur, metalla
differre specie ab auro, quia diuersæ proprietates
arguant differentiam essentialem.

Secunda
obiectio.

Obiicitur secundò. Si ars chymica posset trans-
mutare vnum metallum in aliud, posset etiam trans-
mutare vnam gemmam in aliam, quod est impossi-
bile; quis enim vnquam smaragdum mutauit in
adamantem, vel chrysolitum in carbunculum:
ergo non potest per artem mutari metallum vnum
in aliud. Deinde sequeretur, quod caloris naturalis
defectus suppleri posset per artem, atque ita quod
ex pane fieri posset caro, & ex vino humanus san-
guis, imò animalia perfecta.

Respondeo transmutari fortasse posso gemmas
(vt multi docent Authores) vel certè nondum ars
illa inuenta est, sicut est inuenta transmutatio me-
tallorum. Animalia perfecta per nullius artis indu-
striam certum est posse generari; plura enim ad
eam generationem requiruntur, quam arte vllà effici
possit. Carnem etiam & sanguinem animalis ars
nulla potuit efficere. Non disputo vtrum possit hoc
vnquam assequi; mihi probabilius est, non posse;
fabula enim mihi videtur, quod ab aliquibus tradi
video, fieri carnem ex pane per aliquot dies defosso
in sterquilinio.

Tertia ob-
iectio.

Obiicitur tertio. Sicut viuens perfectum extra
matricem nequit generari, sic neque aurum, quod
metallum est perfectum, produci potest extra mine-
ram quæ illius quali matrix est.

Respondeo posse argumentum retorqueri: sicut
enim viuens imperfectum produci potest extra vte-
rum, & ex quacunque materia, ita & metallum,
quod est imperfectius viuente imperfecto. Ad argu-
mentum ergo negatur paritas, quia euincit expe-
rientia, quod metalla generantur extra venas mine-
ræ. Notus est libellus superioribus annis editus,
vbi accuratè disputatur de aureo dente, qui sponte
succreuerat cum alijs dentibus in ore militis Hun-
gari in castris Imperatoris, quod aurum omnium
iudicio visum est probatissimum. Refert Alexander

R. P. de Rhodæ curs. Philosoph.

Ab Alexandro in Germania citeriore vites iuxta
Danubium tota hyeme terræ infepultas, sapè in
æstate capreolos aureos, & pampinos germina-
re. Narrat Aristoteles lib. de admirandis auditionibus,
alicubi æs Cyprium ab agricolis feminari, & meti.
Denique narrat Albertus Magnus, aurum aliquando
inuentum esse inter dentes superiores humani capitis.

Obiicitur quartò. Est impossibile vt gignatur de
nouo mixtum, nisi præter calorem adit etiam fri-
gus: sed in fornace non potest esse frigus: ergo
non potest gigni aurum.

Respondeo distinguendo maiorem; quando mix-
tum gignitur primò ex elementis, debet esse fri-
gus, concedo; quando ex mixto fit aliud mix-
tum, nego exigi aliud frigus, quam quod præexistit
in illo priori mixto; quod conuincitur ex varijs
exemplis, quæ attuli de ouis Cætri, de orichalco, de
cerussa, ex qua fit sandix.

Quibus tamen omnibus monitum hoc subne-
cto, longè certissimum, chrysopeiam hanc, de qua
dixi, speculatiuè fortasse veram, contemnendam
omniò esse in praxi, & reiciendam, ob periculum
pacti cum dæmone, ob periculum fraudum, & quia
ingentes per eam diuitiæ profunduntur, semper in-
certa spe, vix vnquam grandi lucro.

S. III.

Comparatio artis, & naturæ quoad perfectionem
operum.

Comparauimus hæcenus artem & naturam quoad
conuenientiam, & actiuitatem, superest vt bre-
uiter illæ inuicem comparentur quoad perfectio-
nem: clucescit verò illa potissimum in operatio-
nibus mirabilibus, quæ communiter dicitur Magia;
tum naturalis, si illa spectant ad naturam; tum ar-
tificialis, si spectent ad artem.

Dico tertio. Naturæ miracula per magiam natu-
ralem effecta esse simpliciter maiora miraculis ar-
tis; quæ tamen secundum quid dici possunt maio-
ra quatenus ars naturam perficit, in qua fundatur.
Ad cuius intelligentiam,

Naturæ mi-
racula.

Obserua primò, magiam vniuersim sic definiri, *Magia quid
est facultas efficiens quadam miraculo insolita vi crea-
ta & non supernaturali, quorum ratio sensum, & com-
munem hominum captum superat.* Diuiditur ex causa
effectiua in naturalem, artificialem, & diabolicam;
quia omnes huiusmodi mirabiles effectus non pos-
sunt adscribi nisi vel insitæ naturæ rerum, vel hu-
manæ industriæ, vel malorum angelorum malitiæ.
Magiam naturalem definiunt, *Est exactior quadam
naturæ cognitio, quæ rerum naturalium vires ita copu-
lat, vt efficiat sine vlla demonum arte quadam mirifi-
ca, quæ rerum ignaris præstigijs videtur aut miracu-
losa.* Diuiditur in diuinatricem, & operatricem: pri-
ma in abditis & futuris coniectandis versatur; se-
cunda miros effectus producit. Vbi omnino nota,
libros ferè omnes, qui de magia solùm naturali con-
scripti sunt, plenos esse solere mendacijs, imò &
diabolicis superstitionibus, ad diabolicam magiam
spectantibus, vt rectè notat Delrio lib. 1. c. 3. Homi-
nes videlicet istos, qui tam multa naturæ tribuunt,
& illius secretorum consilij videri volunt, certum
est plerumque habere commercium cum dæmone,
cuius fraudes & scelera veris quibusdam naturæ
miraculis occultant.

Obserua secundò, magiam naturalem opera illa
sua perficere mirabilia, obseruando naturalium rerum
proprietates, ac præsertim sympathias earum, & an-
tipathias, vt cum Tobias patris cecitatem monitu

Magia natu-
ralis.

L 3 Angeli

Angeli felle piscis discussit; quam vim pisci calyonymo inesse asseruit Plinius, Alianus, Galenus. Verum inter hæc quædā mihi sunt valde dubia, cuiusmodi plurima dabit Photius ex Ctesia, Ptolomæo, Ephestione, Agatarchide, ac aliis fabularum narratoribus. Quædam sunt omnino falsa, nisi sint diabolica, ut notat Delrio *cap. illo* 3. v. g. qui solo contractu, visu, voce, osculo, nudi linthei applicatione morbos & vulnera putant curari. Regibus autem Christianissimis concessa vis à Deo sanandi morbum scrofularum, planè miraculosa est, primogenito Ecclesiæ Principi data, in Regni privilegium, & insignie maiestatis. Eandem vim septimis masculis in Gallia ex legitimo thoro natis, sine media vlla puella, concessam esse communiter fertur, quod miraculo non potest carere.

Sympathia.

Certa verò sunt hæc, & ad sympathiæ genus pertinent. Tympani ex lupina pelle sonus aliud tympanum ex agnina tensum distumpit, teste Oppiano *lib. 3.* Troglodythæ crocodillis terrori sunt, & baculo ori inserto flectunt quod volunt. Psylli & Mar-si serpentes illasi tractant. Palæa frigore suo nines conservat, & calore fructus maturat vi contraria. Calx vim ignitam in se habens aquis accenditur, non autem oleo infuso. Sal Agrigentinum igne liquatur, induratur aqua, & crepitat. Similia sunt quæ dicuntur de dictamno, quod ceruus expellit sagittas; de chelydonia, quæ hirundo cæcos pullos inoculat; de Pici Martij herba, quæ adactis cuneos expellit; de veneno tarantulæ, à qua morsis non aliud vitæ remedium est, quàm si certo musicae sonno saltitare ad muneros compellantur donec concidant fatigati. Selenites annulo inclusus, nudæ cutis contactu sanguinem ex quavis parte manantem sistit; quod de cabis pisciculi ossæ narrat Maffei. Fraxini umbra ita serpentes fugat, ut malint se conjicere in ignem, quàm transire per umbram illam. Præonia infantium collo subnexa fugat morbum comitalem. Turturis cor ad febres intermittentes proficere Medici docent, si adhuc calens voreretur. Cor cornu gestatum inhibet somnum: cor vespertilionis accersit. Menstruæ mulieris aspectu maculatur speculum. Lupus si prior hominem viderit, vocis ei facultatem adimit; si prior videatur, non nocet. Regulus serpens solo aspectu homines enecat; si se in aqua lymphida conspiciat, ipse emoritur. Torpedo fatiisâ ita, manum tenentis, & corpus totum torpescit. Hyæne umbrâ canes obmutescunt. Serpens quernis contactus frondibus emoritur, & ibidis pennâ sistitur. Vipera contactu arundinis, vel fagine virgæ obstupefcit. Vespertilioes foliis platani abiguntur. Eryngium capræ sumptum ore greges totos sistit. Cæteræ pennæ pennis aquilarum mixtæ consumuntur. Lupinas fides si agninis iungas, istæ dissiliunt. Anis galgalus ictericum si viderit sanat, & contrahit eius morbum. Taurum furemtem si ficui alliges, mansuescit. Notum est quod de ech neide, seu remora tradunt præter Authores profanos Basilium & Ambrosium in Exahemero. Mirabilis omnino est acus nauticæ motus versùs polum; heliotropij ad solem perpetua conversio: imò dicuntur flores omnes lutei coloris, calyce aperto solem orientem excipere, & complicatis foliis noctem vereri. Leo X. Summus Pontifex lapillum annulo inclusum habuit, ut pro vario lunæ lumine abibat & caruleo in candidum. Clemens verò VII. alterum habuit, in quo macula sole oriente oriens, & occidente occidens ad solis motum circumagebatur. De cadaverè hominis occisi, quod solet coram occisore fundere sanguinem, aut fremere, multa dis-

Cadaver
hominis
occisi.

putant Lemnius *lib. 2. de oculis naturæ miraculis*, c. 7. Langius *epist. 40.* Pictorius *dialogo 4.* Loyerius *lib. 4. de spectris*, c. 21. Delrio in *Oscaniæ Senecæ* num. 127. Causam alij referunt ad naturalem antipathiam; alij longè probabilius ad vindicem homicidij Deum, quia nunquam id factum legitur, nisi quando iniustum & occultum fuit homicidium, cuius ignoratur author. Hoc autem argumento est, motum hunc viribus naturæ non fieri, sed ab ultore criminum Deo causari, ut probarem si vacaret.

Plura de huiusmodi miraculis, si voles, videri possunt Aristoteles *lib. de admirandis audicionibus*, *lib. de historia animalium*, & aliis, Sirenus *lib. 9. de Fato*, Fracastorius *lib. de sympathia*, Plinius & Solinus. Ego sanè si omnia persequar, nusquam erit finis.

Scio factari vulgò, pulverem quendam sympathicum, & vnguentum (ut dicunt) armarium, utrumque ante paucos annos inuentum. Medentur autem ambo, & omnino curant vulnera, quibus applicata non sunt. Sed hanc ego totam artem iudico diabolicae magiæ opus esse, non autem naturalis, aut artificialis.

Observa tertio, plurima esse, quæ tametsi sint mirabilia, solius tamen naturæ viribus possunt fieri: v. g. Primo candellam nullo vento extinctibilem dicunt fieri, si canna impleatur pulvere sulphureo, & minutissimis panniculis fractis, deinde totum cera inuestiatur, & accendatur. Secundo fiet alia candela in mediis ardens aquis, si ex vna ceræ libra, & vnciis duabus vivi sulphuris, calcisque viar tantundem, additâ olei nucum vnciolâ, formetur candela cum bombyce. Tercio si candela hyeme sulphuris & carbonis pulvere oblita contegatur papyro, tum glaciæ tota circumdetur, ardebit intra glaciem flamma. Quarto, aqua sine vilo igne calefiet, si vas aneum amplum, rotundum, & unico apertum foramine, viâ calce, & sulphure paribus aquis totum impleatur, & foramen probe obturetur, ne quid exipiet, mox demittatur in puteum, aquam efficiet calidam in multis dies. Quinto, si lini oleo manus lauentur, liquatum plumbum, vel aurum tractabunt manus sine dolore. Alia dabant sine numero Mizaldus, Vecherus, Cardanus. Et hæcenus de naturæ operibus, nunc ut ad artem deveniam,

Observa quarto, rectè describi magiam artificialem, *Est ars quæ mira quædam perficit per humanam industriam*; rectèque diuiditur quatenus operatrix est, in mathematicam, & præstigiaticam. Mathematica illa est, quæ vitur principiis geometricis, arithmeticis, vel astronomicis: alia verò est Automatica, alia Hydraulica, alia Pneumatica: v. g. statua Habidis Tyranni Sparthanoræ, amplectendo occidebat: horologium aneum à Calipha missum ad Carolum Magnum, ubi equites duodecim egrediebantur, & duodecim claudiebant fenestras antequam horæ pulsarentur: Cupido ferreus in templo Dianæ suspensus in medio aëre, sicut Arfinoës statua, & imagines Mausoli apud Cares. In vrbe Sammarcantia primaria Regni Zachatay, columna in templo sancti Ioannis Baptistæ in medio aëre pensilis est sine vlla basi, ut narrat Paulus Venetus *In itinere*. Carolo V. oblata est aquila ænea volans per aërem, & Parisiis ritibus argentea, quam remiges eiusdem materiæ impellebant & sistebant, & retroagebant. Eiusdem generis est Constantini thronus, qui sedente Principe attollebatur repente in coelum, rugientibus

Opera mi-
rabilia.

Magia arti-
ficialis.

Quæst. I. Sect. I. de Causis in communi. 127

rugentibus leonibus æneis, quibus sustentabatur; & accinentibus auibis, quæ ad arboris etiam æneæ ramos erant effictæ, ut narrat Luitprandus *lib. 6. rerum in Europa gestarum*. Talis est Cosroe sphaera chrySTALLINA, quæ naturæ veluti speculum erat, ut refert Cedrenus. Videndi de huiusmodi mirabilibus Loyerius *lib. 1. cap. 8. & 9.* Delrio *lib. 2. q. 27.* De hydraulicis & pneumaticis si dicere tentauero, infinitus ero. De præstigiatrice magia solùm hoc cum Bodino dicam, solere istis circulatoribus hanc artem esse velamen diabolice magiæ; solent enim decem magicis præstigiis vnum subtilitatis artificiosæ actum miscere, ut persuadeant ea quæ faciunt, omnia fieri arte, ac dexteritate: vnde illa semper suspecta sunt viris probis, & cordatis.

Et hæc satis sint ad declarandam naturæ præcellentiam supra omnem artem, cuius omnis industria fundatur in naturæ viribus. Et sanè solùm vnius formicæ corpusculum superat omnia quæ narrantur & iactantur artis mirabilia.

DISPUTATIO II.

De causis corporis naturalis.

Aristoteles 2. *Physic. 1.* & 5. *Metaph.*

POST exposita principia corporum & eorum naturam, progredior cum Philosopho ad explicandas eorum causas, quibus nihil ignotius, nihil mirabilius esse potest. Nata videlicet Philosophia est ex effectuum illorum admiratione, quorum causæ ignorarentur. Illarum igitur cognoscendarum cupido scientias omnes peperit, acuit ingenia, industriam inflammavit. Earum autem consideratio tametsi Metaphysici etiam instituti esse videatur, Physica tamen potissimum est, cuius solius proprium munus est considerare materiam & formam, quas scientia illa non attingit, quæ abstrahit ab omni materia. De causis igitur corporum ut plena sit disputatio, considero primùm eas generatim, deinde de singulis differo, tum internis, tum externis; tum per se, tum per accidens.

QVÆSTIO I.

De causis in communi.

COMMUNIA omnibus causis esse possunt quinque. Definitio causæ propriè dictæ, diuisio causarum, conditiones necessariæ ad cauandum, comparatio causarum cum effectibus, earumdem comparatio inter se.

SECTIO I.

Quenam sit propria definitio & conceptus causæ.

CAUSAM hinc sumo propriè prout distinguitur à principio, quod, ut dixi, significat *id omne à quo aliquid aliquo modo est*: causa verò pressius sumitur, cuius hinc primùm traditur definitio, deinde conceptus causæ, tum in actu primo, tum in actu secundo.

Dico primò, causam rectè definiri, *Principium*

à quo influente aliquid pendet; effectum verò, *id quod pendet ab alio influente*.

Dicitur primò *principium*, quia hoc est genus huius definitionis, cum omnis causa sit principium, tametsi non omne principium sit causa.

Dicitur secundo, *à quo per se influente*, id est verè concurrente ad eius existentiam, ut exprimitur causalitas, per quam causa distinguitur à principio in communi, quod non exhibet necessariò influxum realem; causa verò semper verum habet concursum, quia dat esse suo effectui; per hoc etiam causa differt à conditione sine qua non, & à causis per accidens, quæ non influunt.

Dicitur tertio, *à quo aliquid pendet*, quia Deus Pater Deo Filio dat verum esse, sed non est tamen illius causa, quia non pendet à Deo Patre suo, cum quo est eiusdem naturæ. Pendere videlicet ab alio non est tantum accipere ab alio esse, sed est produci secundum essentiam distinctam ab essentia producentis; si enim producens alteri tantum communicet suam essentiam improductam, res producta non erit dependens, quia cum habeat essentiam independentem, erit independens. Sed de hoc viderint Theologi; tantum enim addo, alias definitiones causæ minùs proprias videri, si vel eis destit ratio influxus, vel ratio dependentiæ. Generatio enim pendet à priuatione, quæ tamen non est eius causa propter defectum influxus; & Deus Pater producit Filium, cuius non est causa, propter defectum dependentiæ; idè ad veram causam requiritur influxus in effectum, & dependentia effectus.

Colliges ex his, quomodo dignosci possit causa prout differt à conditione sine qua non; causa enim influit, ut dixi; conditio autem non influit, sed est aliquid requisitum ut aliud influat: v. g. ut ignis comburat, approximatior requiritur, quæ tamen non producit ignem. In eo ergo differt conditio à causa, quod effectus sequatur ex vi ipsius causæ, non sequatur autem ex vi ipsius conditionis, sed tantum illa posita sequatur ex vi alterius, ut patet in approximatione. Quod autem effectus non sequatur ex vi alicuius, dignoscitur primò ex generali ratione, & natura rei, de qua quaritur approximatior v. g. relatio est, quæ non est actiua. Secundo dignoscitur, quia quoties aliquid non est de conceptu essentiali, & definitione alicuius operationis, tunc est solùm conditio, non autem causa, licet ad exercitium operationis huius requiratur: sicut quia in definitione actionis non ponitur approximatior, illa non est causa, sed necessaria conditio.

Dico secundo, causam in actu primo formaliter constitui per relationem transcendentalem ad effectum, tum in communi, tum in particulari: causam verò in actu secundo constitui formaliter per causalitatem, & relationem categoricam ad effectum. Ita docent recentiores Philosophi contra eos qui negant relationem realem causæ ad effectum, sed relationem tantum quandam secundum dici. Antequam autem probetur id quod asserui,

Obserua causam omnem posse concipi vel in actu primo, vel in actu secundo. Dicitur esse in actu primo, quando non actu agit, sed quantum est de se habet omnia requisita ad agendum. Dicitur esse in actu secundo, quando agit actu, & producit effectum. Vnde fit ut causa in actu primo constitutur per potentiam cauandi, causa verò in actu secundo per ipsam causationem, vel ut communiter vocant, per causalitatem, qui est actus ipse cauandi, seu influxus, quo causa dat esse effectui. Quo posito,

Discrimen
causæ &
conditionis

Assertio altera.
Causa conceptus in
actu primo
& secundo.

I. 4 Ratio

Prior assertio.
Definitio
causæ.